

SOPH
PORT







VII.
in SOPH:
PORT.

FRANCISCI PORTI CRETENSIS IN OMNES SOPHOCLIS TRAGOEDIAS ΠΡΟλεγόμενα, vt vulgò vocantur.

IN QVIBVS

Ipsa Poëtæ vita, genúsque dicendi declaratur. De Tragœdia, eiusq; origine, & de Tragœdiæ, atque Comœdiæ discrimine paucis agitur.

SOPHOCLIS, ET EVRIPIDIS COLlatio breuis instituitur, & quibus in rebus vterque potissimùm excellat, apertè demonstratur. Singularum verò Tragœdiarum Argumenta cum artificio Rhetorico separatim exponuntur.

HIS ADDITA

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ' *AD ORATIONEM DEMOsthenis* περὶ παραπρεσβείας, *cui accesserunt Sex Oratiunculæ Latinæ, quas idem F. P. olim in Illustriss. Ducis Ferrariensis Academia Mutinensi Linguæ Græcæ Professor habuit. Singulis Oratiunculis suum argumentum paucis est ascriptum.*

MORGIIS,
Excudebat Ioannes le Preux, Illustris. Dominorum Bernensium Typographus.
M. D. LXXXIIII.

tim, qui, quòd in hisce terris amplius nõ versentur, mentem suam aperire, suamq; sentẽtiam aduersus importunam obtrectatorũ inuidiam tueri nequeũt, iudiciũ facere valde periculosum esse constat. Huc adde quòd in eam temporum seueritatem, vel potius malignitatis αὐθάδειαν incidimus, quæ sua tantùm laudat, & admiratur, aliena verò vituperat, & aspernatur. Quare meritò à paternis scriptis in lucem edendis deterrebar. Verumtamen in proposito, susceptóque consilio permanere non potui: sed quotidianis amicorũ precibus cedere sum coactus, quorum honestißimis votis vtinam respondere poßimus. Jllud certè fateor ingenuè opus longè melius, ac perfectius futurum fuisse, si ipsius authori Deus vitam longiorem dedisset. Ego tamen pro charitate, qua felicem parentis memoriã prosequor, feci quod à nostrarũ virium imbecillitate homines non maligni, neque morosi poterant expectare. Quamuis autem nonnullis in locis editionis Pindaricæ per Typographici correctoris imprudentiam sit grauiter peccatũ (quod profectò nobis maximam attulit molestiam) video tamen has patris commentationes à multis non vulgaris doctrinæ viris humaniter exceptas. Hoc itaque nobis animos addidit, hoc effecit vt maiori cum alacritate reliqua paterna scripta, quæ penes nos sunt in præsentia, typis mandanda curaremus. Jnterea verò dum Typographus

pographus parat quæ ad opus faciendum requiruntur, hæc, quæ facilè, citò, & sine magno sumptu peragi poterant, quasi cæterorum quoddam specimen, excudenda, tuóque nomini dicãda censuimus, præsertim cùm τὰ προλεγόμενα in Sophoclis tragœdias iure tuo tibi vendicare possis. Pater enim meus, vt tibi per literas iã pridem significaui, animã Deo commendaturus, & ex humani corporis carcere ad superos euolaturus, memor amicitiæ, quæ tibi cum illo maxima constanter intercessit, memor etiã officiorum, quæ sæpius ipsi præstitisti, Sophoclem suum cum suis commentarijs propria manu scriptis tibi legauit, vt certum, ac perpetuum monumentũ haberes illius, qui te plurimũ amabat, & obseruabat. Filius verò, quod pater mandarat, fideliter est executus, tibíque rem debitam, & legatam dedit. Verùm quia publicarum lectionum auditor hæc patre docente scripserat, & verebatur ne, siquid humanitus accideret, in alienas manus venirent, & alius labores nõ suos pro suis venditaret, aut inuidiæ stimulis actus supprimeret, atque adeò perderet, quia etiam non minimos fructus ex his à literarũ studiosis perceptum iri credebat, idcirco typis mandari iussit.

His addidit παρασκευὴν ad orationem Demosthenis περὶ παραπρεσβείας adiunxit & sex Orationes Latinas. Scio V. Cl. Scio perexiguũ istud munusculum

eſſe nullum quum tuorum erga nos meritorum magnitudinem mecum ipſe perpendo. Ne tamen ἀχαει-ϛίας καὶ ἀγνωμοσύνης *meritò me accuſares, quãdo tibi gratiam referre non poſſum, habere ſaltem, atque hoc ipſum ſcriptis teſtatũ omnibus facere volui. Quare V. Cl. pro ſolita benignitate maiorem præclaræ voluntatis, quàm doni tenuitatis rationem habebis, & rem tibi ab eo, qui te ex animo plurimùm obſeruat, alacriter oblatam accipies, fouebis, & authoritatis tuæ fideli patrocinio defendes. Vale V. Cl. & me, vt facis, ama. Datum Lauſannæ Idibus Nouembris.*

1583.

***

ÆMILIVS

ÆMILIVS FRANCISCI PORTI
CRETENSIS F. HVMANISSIMO
Lectori S. P. D.

MAGNA cum voluptate, Lector humaniſs. parentis mei commentariolos in Pindarum ſcriptos, & nuper in lucem editos multis τῶν φιλελλήνων *audiui gratos fuiſſe. Quamobrem & reliqua eiuſdem ſcripta: ſed tamē accuratiùs, quàm ſuperiora, ſi modò fieri poſſit, excudenda cenſui. Interea verò* τὰ προλεγόμενα *in omnes Sophoclis Tragœdias, &* παρασκευὴν *ad orationē Demoſthenis* περὶ παραπρεσβείας, *& ſex Oratiunculas, quas olim in celeberrima Illuſtriſsimi Ducis Ferrarienſis Academia Mutinēſi Linguæ Græcæ Profeſſor habuit, vt quoddam rerum maiorum pignus, & argumentum typis mandandas curaui. Quòd ſi Deus Opt. Max. incœptis noſtris faueat, & labores noſtros ſecundet, breui Thucydidem, & ſingulas eius conciones cū artificio Rhetorico diligenter ab eodem patre meo declaratas habebis. Habebis etiā Hermogenis Ideas, Dionyſij Longini libellum de ſublimi dicendi genere, Demoſthenis aliquot Orationes, Xenophontis maximā partem, aliquot Plutarchi Opuſcula, Euripidis aliquot Tra-*

gœdias, Homeri Iliadem, & Odysseam perpetuis eiusdem viri notis illustratam. Atque hæc quidem, quæ sunt in manu nostra, facilè tibi lector humaniss. possumus polliceri. Reliqua verò, quæ iam non sunt in potestate nostra, fortasse & ipsa tandē aliquando in lucem cum non spernendo rei literariæ fructu prodibunt. Horum enim arbitrium est penes viros, de quorum spectata probitate, & erga felicem parentis mei memoriam charitate non vulgari nobis dubitare nefas. Vale. Datum Lausannæ Cal. Dec. 1583.

***

FRANCISCI PORTI CRETENSIS ΠΡΟΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ IN SOPHOCLIS Aiacem Mastigophorum.

De Poëta primùm, eiusq́ charactere, deinde de Tragœdia eiusq́ ortu agemus, postremò fabulæ huius argumentum explicabimus.

SOPHOCLES Atheniensis fuit, Sophili filius. natus dicitur 73. Olympiade: vt Socrate maior natu fuerit 17. annis. hunc scribit Gellius etiam Euripide maiorem natu fuisse, educatus ingenuè, institutus liberaliter traditur, & operam dedisse Palæstræ, ac Musicæ, præmiúmque inde tulisse. Poësim didicisse ab Æschylo, qui ætate anteibat, dicitur. Et cùm vitæ splendore, doctrináque iam clarus esset, ad Rempublicam accessisse fertur. Plures legationes gessit: Periclis etiam cuius erat æqualis, Collega fuit in Prætura aduersus Samios. Præfuit etiam Sacerdotio propter insignem pietatẽ erga deos. itaque ab Hercule in somniis admonitus coronam aureã quæ ex arce fuerat surrepta, populo ipse indicasse dicitur, & pro eo indicio talentum accepisse. ea pecunia fanum Herculi iudici ædificauit. Plures habuit filios, Iophontem, Leosthenem, Aristonem, Stephanum, & Meneclidem. Ab Iophonte in iudicium fuit vocatus propter inuidentiam. i. quòd nepotẽ Sophoclem Aristonis filium magis diligeret, eíque anteponeret: vel propter rei familiaris negligentiam, vt placet aliis: quos Cicero etiam sequutus est: verba Ciceronis in Catone hæc sunt.

Sophocles ad summam senectutem tragœdias fecit: qui propter studiũ cùm rem familiarem negligere videretur, à filiis in iudicium vocatus est, vt quemadmodum nostro more malè rem gerentibus patribus bonis interdici solet,

ſic illum quaſi deſipientem à re familiari remouerent Iudices. tum ſenex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proximè ſcripſerat, OEdipum Coloneum recitaſſe Iudicibus, quæſiſſeque num illud carmen deſipientis videretur. quo recitato, ſentẽtiis Iudicum eſt liberatus. Hæc Cicero. in eodem iudicio illud etiam ab eo dictum ferunt quod eſt memoratu dignum. εἰ μὲν εἰμὶ Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ· εἰ δὲ παραφρονῶ, οὐκ εἰμὶ Σοφοκλῆς. alludẽs ſcil. ad nominis ἐτυμολογίαν, quæ ſignificat clarum ſapientia virum.

Is propter vocis tenuitatem, primus Poëtæ perſonam ex numero actorum exemiſſe dicitur: Iſocrates etiam magnus Orator propter vocis tenuitatem à luce forenſi abſtinuit, in Thamyride tantùm ceciniſſe ad citharam fertur. Quare in ea porticu, quæ propter picturæ varietatem ποικίλη στοὰ vocabatur, pictus cernebatur citharam tenens manibus. Primus etiam fuit author, vt fabulis Poëtæ inter ſe certarent. Primus idem τριταγωνιστὴν, id eſt, tertiarum partium actorem in ſcenam induxit: & chorum, qui antea ex 12. perſonis conſtabat, ipſe tribus præterea additis auxit, & effecit vt ex 15. conſtaret. Hiſtrionum habitum & ſcenæ apparatum ornauit, & magnificentiorem reddidit, & fabulas ad naturas & ingenia actorum (id quod factu admodum difficile exiſtimabatur) accõmodauit. Ita demum in hoc genere cæteros ſuperauit, vt ſuis charus eſſet, ab externis ſummoperè expeteretur, & à Regibus inuitaretur maximis præmiis, quæ ille animi altitudine, charitate erga patriam deſpexit. Scripſit fabulas κατὰ Σουίδαν CXXIII. Plures etiam vt alij. Meruit nomen Apis propter ſuauitatem & dulcedinem characteros: certauit cum Æſchylo, cum Euripide, cum Chærilo, cum Iophonte filio & aliis, vicies & quater vicit. Scripſit etiam Elegos, Pæanas, carmina, ſoluta etiam oratione. Vita deceſſit (ſi Simonidi Poëtæ credimus) vuæ acerbioris acino, qui gutturi hærens eum ſuffocauit. Alij tradunt eum recitantem Antigonem, cum in longiorem verborum continuationem incidiſſet, in qua nulla eſſet interſpiratio, vocis cõtentione animam efflaſſe. Alij aiunt extinctum nimio gaudio ob inſperatam victoriam ex Tragœdia quadam reportatam.

Fuit

Fuit & alius Sophocles nepos eius, & ipse Tragicus, qui docuit fabulas XL. vicit septies.

De charactere Sophoclis pauca iam attingam: in explicandis fabulæ huius partibus agam copiosius, grauis & sublimis est: ita tamen vt, grauitatem iucunditate, & dulcedine perfundat in mouendis affectibus, quamuis sit tragicus, vincit tamen Euripides. Est enim Euripides vt aliis rebus longè inferior, tamen τραγικώτατος, id est, maximè mouens affectus, vel Aristotelis iudicio in Poëtica. Quintilianus addit carmen Euripidis ad Oratorium genus magis, quàm Sophoclæum accedere, sed de Poëta, eiúsque charactere satis: de Tragœdia, eiúsque ortu iam agamus.

Tragœdia, Comœdia, atque adeò omnis poësis à natura fluxit: & ab ea suũ ortum accepit. homo enim ad imitandum natus, aptúsque est: id, quod etiam in ipsis statim infantibus facilè cerni potest, qui imitatione discunt agere quæcunque agunt, imitãtur autem homines res vel lætas, vel tristes. Vita enim hominum in his quasi duobus vertitur cardinibus, secundis (inquam) rebus, vel aduersis. Primi itaque illi homines alij has, alij illas pro diuersitate ingeniorum, sequuti, eas imitando exprimere sunt conati, casu primùm hoc accidit vt Aristoteles etiam testatur: deinde re notata ab iis, qui erant solertiores, & ingenij acumine valebant, vtraque res, Comœdia, Tragœdiáque paulatim creuit, & progressus primùm modicos, deinde magnos fecit. Ortus eius à rebus diuinis manasse creditur. Solebant enim veteres pro frugibus sacra facere, & incensis altaribus, admotóque hirco carmen canere in Bacchi laudem: hoc carmen τραγῳδίαν vocabant ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ τῆς ᾠδῆς, id est, ab hirco vinearum hoste, & cantu, vel, quòd hirco siue vtre musti pleno donabatur carminis author: vel quòd cantores ora fæcibus perlinirent, antequàm Æschylus personas reperisset. Vt cùm fæces τρύγες Græcè dicantur, τραγῳδία quasi τρυγῳδία carmen vocaretur, quod canerẽt agerẽtque peruncti fæcibus ora: vt Horatius canit. Hunc in modum Tragœdia inuenta in Peloponneso cœpit agi, eiusq; ortum (vt author est Aristoteles in Poëtica) Dorienses sibi vẽdicant. agere enim ipsi δρᾶν dicunt, vnde

δράματα, actus, & fabulę. Ariſtoteles in Poëtica Tragœdiam ait originem traxiſſe à dithyrambis. Ariſtotelis verba hæc ſunt. Γενομένης οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς, καὶ αὐτή, καὶ ἡ κωμῳδία, καὶ ἡ μὲν τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικά, ἃ ἔτι καὶ νῦν, &c. κατὰ μικρὸν ηὐξήθη. illud γενομένης, ego corrigo, & γενομένη lego. Sed hæc de ortu Tragœdiæ. Theſpis deinde à rebus diuinis aliò etiã eam tranſtulit, & per vicos, villas, & compita eam in plauſtris actitauit. author eſt Horatius.

Ignotum Tragicæ genus inueniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis
Quæ canerent, &c.

Plato in eo dialogo, qui Μίνως, vel de lege inſcribitur, ab alio Athenienſi multò ante Theſpidem Tragœdiam excultam fuiſſe tradit. hoc parum refert: illud in Poëtica teſtatur Ariſtoteles Tragœdiã multas mutationes paſſam, tandem adeptam fuiſſe formam abſolutam, atque ita mutari deſiiſſe. Quo in genere abſolutę Tragœdiæ laudat noſtrum Sophoclem. Partes in quas Tragœdia ſecatur ſunt quatuor, Prologus, ἐπεισόδιον, ἔξοδος, & χορικόν. πρόλογος eſt iuſta Tragœdiæ pars ante chori aduẽtum. ἐπεισόδιον, eſt iuſta Tragœdiæ pars inter perpetuos chori cantus. ἔξοδος iuſta Tragœdię pars poſtquam nullus eſt deinceps chori cantus. χορικὸν Ariſtoteles partitur in πάροδον, στάσιμον, & κόμμον. πάροδον, id eſt, acceſſum, vel ingreſſum in ſcenam, definit eſſe primam totius chori dictionẽ. στάσιμον, cantum ſine Trochæo & Anapæſto. Κόμμον, planctum, ſiue luctum choro communem cum iis, qui ſunt in ſcena.

Inter Tragœdiam, & Comœdiam cum alia interſunt, tum illud in primis eſt diſcrimen. in Comœdia mediocres fortunæ hominum, parui metus, parua pericula, exitus læti ſunt. In Tragœdia contrà ingentes perſonæ, magni metus, funeſti ſunt exitus: in illa, turbulenta prima, tranquilla poſtrema: in Tragœdia contrà, principia læta & pacata, exitus turbulenti, & funeſti: & in Tragœdia vita fugienda, in Comœdia vita expetẽda exprimitur. Denique Comœdia fingit argumenta. Tragœdia ſæpe ab hiſtorica fide petit. Vtitur Iambo carmine, quoniam hoc metrum alternis ſermonibus videtur maximè aptum. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέ-

τρων

τρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν, inquit Ariſtoteles. Tetrametro tamen olim vtebantur Tragici teſte eodem Ariſtotele in Rhetorica lib. 3. deinde miſſo facto Tetrametro ſequuti ſunt Iambicum. Verba Ariſtotelis hæc ſunt. Οἱ τὰς τραγῳδίας ποιοῦντες ἐχρῶντο πρῶτον τοῖς τετραμέτροις, εἶτα μετέβησαν εἰς τὸ ἰαμβεῖον.

Horatius.

Archilocum proprio rabies armauit Iambo
Hunc Socci cæpere pedem, grandéſque Cothurni:
Alternis aptum ſermonibus & populares
Vincentem ſtrepitus & natum rebus agendis.

Cicero numerum Iambicum cadere in orationem aptam ait, quòd ſit orationi ſimillimus: itaque fieri, vt potiſſimùm propter ſimilitudinem veritatis adhibeatur in fabulis, quòd ille Dactylicus numerus Hexametrorum magniloquentiæ ſit accommodatior.

Nunc ad Argumentum fabulæ veniendum, vbi prius quid inteſit inter Euripidē & Sophoclē fuerit declaratum.

Hoc autem paucis eſt demonſtrandum, vt de vtroque iudicium ſit facilius.

Submiſſior eſt Euripides & accōmodatior ad aures populares, & propius accedit ad genus Oratorium, vt iis, qui ſe ad agendum comparant, vtilior longè Sophocle videatur: denſus ſententiis, refertus locis communibus, & grauiſſimis in vtramque partem diſputationibus: in mouēdis affectibus omnium Tragicorum iudicio Ariſtotelis eſt τραγικώτατος, id eſt, aptiſſimus ad mouendos affectus. Virgilius 8. Egloga:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

At Sophocles ſemper grauis, ſemper Tragicus, ſemper ſublimis, & grandiloquus eſt: ita tamen, vt grauitatem iucunditate temperet, ſeueritatē tragicam dulcedine poëtica perfundat, & cum duo illa potiſſimum cōſtituant Tragœdiam, οἶκτος, καὶ θαῦμα, hoc eſt, miſericordia, & admiratio, non facilè diiudices vtrum magis delectatione, an admiratione miſericordiá-ve afficiat. Summus denique Poëta eſt, & Homerum principem omniū Poëtarum ſemper ſpirat. Hunc enim in primis imitatur, à quo omne genus poëſeos duxit originem. Itaque Plato eum πατέρα τραγῳδίας

καὶ χορηγὸν, id eſt, parentem, & authorem Tragœdiæ fuiſſe ſcripſit. Sed iam ad argumentum fabulæ veniamus.

Α'ιαξ Μαςιγοφόρος eſt inſcriptio, propterea quòd Aiax inducitur in ſcenam flagella manu geſtans.

Fabulæ Argumentum.

Mortuo Achille, ingens contentio orta eſt inter Aiacem & Vlyſſem de illius armis. Vendicabat ſibi ea vterque iure ſuo: alter nitebatur meritis. Aiax cognatione & meritis. ea de re iudicium inſtitutum eſt, & magna contentione acta cauſa.

Iudicium deſcribitur ab Ouidio luculentiſſimis carminibus libro 13. Metamorphoſeon. 158. hæc ſunt eius verba.

Conſedere duces, & vulgi ſtante corona
Surgit ad hos clypei dominus ſeptemplicis Aiax, &c.

Tandem iudicatum, & arma Vlyſſi data ſunt, eam rem Aiax, adeò moleſtè tulit, vt dolor in furorem verſus fuerit: quare furens iam noctu proſilit ex tentorio, fertur in prata, & in paſcua, vbi Græcorum pecus paſcebatur: facit impetum in greges, & armenta Græcos eſſe putans, vt ſuam vlciſceretur iniuriam, & iniquum vindicaret iudicium. Cædit pecudes quaſcunque nanciſcitur. Nonnullas etiã vinctas ad tentoriũ adducit: inter quas erat ingẽs aries, quem putabat eſſe Vlyſſem, quem columnæ alligatũ flagris cædit: hęc Aiax noctu. At Græci orto die, & cognita cęde pecoris, mittunt Vlyſſem exploratum cædis authorem: ille Mineruæ indicio cognoſcit Aiacem feciſſe cædem. Redit deinde ad ſeipſum Aiax: & cognita ſua inſania, luget vicem ſuam, & ſecum mori conſtituit: itaque ſimulat ſe velle ad flumen venire, & cruorem, quo erat aſperſus, abluere: ſed progreſſus in locum deſertum ſe interficit. Hæc eſt ſumma fabulæ, quãquam habet nõnulla alia inſerta: nempe ſermones habitos inter Tecmeſſam pellicem Aiacis & nautas Salaminios, altercationem Teucri cum Menelao & Agamemnone, qui volebãt vetare ne corpus Aiacis ſepeliretur, & alia nonnulla.

Res aguntur quaſi in agro Troiano, in Gręcorum naualibus, ad Aiacis tentorium.

Perſonæ

Personæ quæ agunt hæ ſunt.

Minerua.	Vlyſſes.	Aiax.
Chorus Salaminiorum.	Tecmeſſa.	Nuntius.
Ἡμιχόριον.	Teucer.	Agamemnon.
Menelaus.		

Prologum agit Minerua, quæ docet Vlyſſem, quis fuerit cædis author. meritò autem inducitur Minerua, quæ indicet authorem cædis: nam cùm nocte intempeſta res patrata fuiſſet remotis arbitris, nemo id ſcire poterat. Itaque Dei erat hoc ipſum indicare.

Ἀεὶ μὲν ὦ παῖ) Procemij laus præcipua eſt δηλωτικὸν εἶναι τοῦ πράγματος, vt doceat qua de re agatur. Docet igitur Minerua quæ perſonæ agāt, quo in loco, & qua de re. Perſonæ ſunt Minerua, & Vlyſſes. Locus, Aiacis tentorium. Agitur autem de Aiace cædis authore. Laudat autem Minerua Vlyſſis vigilantiam, qui nunquam deſinat explorare conatus hoſtium, & conſilia eorum præripere, quod eſt ſapientiæ, vitandi ſcilicet infortunij gratia. Fauet autem Vlyſſi Minerua κατὰ τὸ εἰκός.

Hanc enim Homerus Vlyſſis patronam inducit.

FRANCISCI PORTI CRETENSIS
IN SOPHOCLIS ELECTRAM
Προλεγόμενα.

Electra est inscriptio Fabulæ ab Electra filia Agamemnonis, quæ primas agit partes & inter alios actores eminet.

SOPHOCLIS ELECTRÆ
Argumentum.

QVo tempore Clytæmnestra per dolum maritum interfecit, Electra timẽs Oresti fratri, eum surripuit, & pædagogo clàm asportandum tradidit: ille verò in agrum Phocensem, ad Strophium Agamemnonis hospitem infantem detulit: apud quem Orestes educatus vigesimo pòst anno, & patris vlciscendi, & regni recuperãdi causa clam tum Pylade & pædagogo redit, præmittit pædagogum ad Clytæmnestram explorandi causa: curat vt ei fictum nuntiũ afferat de morte filij: ipse interea cum Pylade adit monumentum patris, & ei parentat: audiuit deinde ex Pædagogo Clytæmnestram esse solam domi: venit igitur cum Pylade: affert secum arculam, in qua fingit cineres Orestis esse: illa lęta eos introducit, vt hospitio accipiat: atq; ita incauta opprimitur. Paulò pòst Ægistus rure domum reuersus ipse quoque ab Oreste, & Pylade excipitur, & interficitur. Fabula est tragica admodum, & plena magnificæ granditatis: continet enim mortem regum, & maximam rerũ mutationem ex statu florẽtissimo, in afflictissimum, & miserrimum. Est etiam iucunda admodum siqua alia. Inducitur in prologo Pædagogus, qui dum Orestem docet quem ad locum peruentum sit, docet simul spectatores quo in loco res agãtur: Argis videlicet. Hæc pars desideratur in Χοηφόροις Æschyli.

Est autem

Eſt autem elegantiſſima σκηνογραφία, id eſt, ſcenæ deſcriptio, habet enim Mycenas vrbem olim opulentiſſimam, ab Argiuis poſtea dirutam, & Argos tranſlatam: habet regiam Pelopidarum, quæ erat magnificētiſſima: habet Argos, forum Lycæum celebre: templum Iunonis celeberrimum, & alia id genus, in quibus erat ſumma elegantia & venuſtas. Eſt in Aiace σκηνογραφία elegans, habet enim naualia, & caſtra Græcorum, eorúmque tentoria, ſed tamē cum iſta non cōferēda: eſt in OEdipode ἐπὶ Κολωνῷ, eſt in Philoctete: ſed hæc eminet, atque excellit, vna tantùm in his, quæ extant, fabulis huius Poëtæ poteſt venire in contentionem, OEdipodis nempe Tyranni. Nam illa quoque eſt elegantiſſima.

Primas partes habet Electra, ſecūdas Oreſtes, Pylades tertias.

Pædagogus Oreſtis agit Prologum: docet Oreſtem quis ſit locus, in quo conſtiterint: quis ille, quò tenderent.

Scripſit & Euripides Electram fabulā, quæ noſtris temporibus reperta, & Romæ impreſſa eſt.

Inducitur vt dictum eſt, Pædagogus, qui Oreſtem docet peruentum Argos eſſe, & ad Mycenas vrbem proximam. Partes celeberrimas τοῦ ἄργους memorat: forum ſcil. & Iunonis templum: reuocat Oreſti in memoriam priſtina ſua in eum merita: Cùm ſcil. ex media cæde patris eum eripuit, ac ſeruauit, vt patris mortem vlciſceretur. Itaque efficit, vt quando huc præterea ventum eſt antequam magis dies illuceſcat, cum Pylade conſtituat quid ſit agēdum.

Ω̃ τοῦ στρατηγήσαντος: Quod in Oratione prooemium eſt, in fabulis πρόλογος dicitur: & eſt eius munus quemadmodum & prooemium, docere, attentionem facere, conciliare auditores: docet hic prologus quis ſit quī agat, & quo eum agat, quo loco, & quo tempore res agantur, & qua de re ſit ſermo: qui loquitur eſt Pædagogus: cum quo loquitur eſt Oreſtes, & Pylades: locus in quo res aguntur, eſt Argos: tempus eſt matutinum: res, de qua agitur, eſt de conſilio capiendo: de ratione ineunda quid ſit agendum: continet itaque hic Prologus mira breuitate ſummam totius fabulæ, quæ eſt, Oreſtem ereptū ex media cæde patris ab Ele-

ctra sorore, & traditum Pædagogo, atque ita cõseruatum, vigesimo post anno redire Argos, vt patris mortem vlciscatur, hic nihil desiderari potest: hic enim Prologus breuissimus continet summam totius fabulæ: & simul facit attentos spectatores, & erectos animis, vt cognoscant quo modo patris mortem Orestes sit vindicaturus, hoc est, vt distinctè cognoscant ea, quæ summatim, & promiscuè hîc proponuntur. Conciliat Oresti spectatorum animos, sic Prologus insignem charitatem, ac pietatem filij erga parentem declarans. Significat enim eum quamdiu fuit in exilio, etiam in ætate, quæ sequitur appetitum, & rebus seriis, curísque istiusmodi non tangitur, tamen semper cogitasse de vindicãda morte patris, & desiderasse semper Argos redire, vt parricidas, & adulteros vlcisceretur.

Fauemus enim virtuti, & charos habemus eos, qui charitatis studiosi sunt, & virtutem colunt.

FRAN-

FRANCISCI PORTI CRETENSIS
ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ IN OEDIPODEM Tyrannum.

LAIVS duxerat vxorem ſterilem, Creontis filiam, is prolis cupidus, & ſucceſſoris regni, conſulit Oraculum, quidnam agendo, à diis impetrare poſſet, vt liberos legitimos ſuſciperet. Hoc tulit reſponſum.

Λάϊε, λαβδακίδη, παίδων γένος ὄλβιον αἰτεῖς;
Δώσω τοι φίλον υἱόν, ἀτὰρ πεπρωμένον ἐστί,
Σοῦ παιδὸς χείρεσσι λιπεῖν φάος, ὡς γὰρ ἔνευσε
Ζεὺς Κρονίδης Πέλοπος στυγεραῖς ἀραῖσι πιθήσας,
Οὗ φίλον ἥρπασας υἱόν, ὁ δ' ηὔξατό σοι τάδε πάντα.

Hoc reſponſo accepto, Laius abſtinebat ab vxoris Iocaſtæ congreſſu, vt videlicet ſibi caueret. ſed die quodam, cùm liberius genio indulſiſſet, & bene potus oraculi oblitus fuiſſet, cum vxore eſt cõgreſſus. Iocaſta ex eo congreſſu facta grauida, tandem infantem parit. Laius tum recordatus Oraculi, famulo abſportandum & necandum tradit infantem: ille miſertus ætatis, & formæ non necat infantem, ſed traiectis ferro pedibus, & inſerto vimine, eum ex arbore ſuſpendit in monte Cithærone. Paſcebat in eo monte quidam paſtor Polybi regis Corinthiorum varios pecoris greges. Is, quum vagitus infantis audiuiſſet, accurrit, ſuſcipit infantem, & eum captus formæ elegantia, vxori nutriendum tradit. creuit puer & ætate, & forma ita, vt paſtor eum dono dederit Polybo domino ſuo qui eum loco filij (erat enim & ipſe liberorum expers) amabat, & regiè tractabat. Sed quum à quodam vocatus fuiſſet in ſuſpicionem ſpurij, iratus, voluit ſcire, quibus eſſet ortus parentibus. OEdipus igitur incertus quibus eſſet parentibus ortus Delphos Corintho proficiſcitur, vt ea de re cõſuleret Oraculum, is, cùm ad quaſdam loci anguſtias in agro

Phocensi peruenisset, occurrit Laio, quem patrem esse ignorabat, & qui eódem properabat, vt de filij exitu quem famulo necandum tradiderat, aliquid audiret: erat Laius stipatus aliquo comitatu: iubet OEdipodem de via decedere: illi recusat: fit in eum impetus: ille dum vim repellit, patrem præter famulos imprudens interficit, dum autem ab Oraculo redit, potitur regno Thebarum, & Regina vxore Laij: quod præmium erat propositum ei, qui Sphingis ænigma soluisset: per idem enim tempus Sphinx monstrosum Æthiopiæ animal, virginea facie, alis auium, Leonis pedibus vnguibúsque insignita, Thebas venisse dicitur, & ænigma proposuisse, quod qui non soluisset, capite pœnas ei dabat, qui soluisset, is erat laturus præmium regnum Thebarum, & Reginæ connubium. Ænigma erat illud,

Est animal in terris bipes, & quadrupes, cui vna vox est, idem tripes est, & inter cæteras animantes quę aut per terram serpunt: aut per aërem volant: aut per mare natãt, hoc tãtùm vocem variat. hoc verò cùm plurimis pedibus graditur studiosius, tum maxima est membrorum imbecillitate: cæteris verò ambigentibus, OEdipus ænigma soluit: itaque Thebarum regno potitur, & Iocastes matrimonio, quam matrem esse ignorabat. Sed orta Thebis grauissima pestilentia ob eiusmodi scelus & incestum, Creon tãdem mittitur, qui consulat Apollinem de remedio. is tulit responsum pestilentiam non cessaturam ni Laij cædes expietur, & author cædis in exilium pellatur. Erat incertum quis Laium interfecisset. aduocatur itaque Tiresias vates, eáque de re consulitur, qui recusat aliquantisper, sed postremo regis impulsu cogitur interfectorem Laij patefacere. Quare OEdipus cognito parricidio, & matris incesto, sua sibi manu effodit oculos. Iocaste mater laqueo se suspendit.

Fabulæ inscriptio petita est ab ipso OEdipode, qui à tumore pedum ita est vocatus. οἰδεῖν enim tumere significat, & πούς, pedem. Porrò pedes tumebant, quia cùm parentes cum infantem famulo asportandum necandúmque tradidissent, famulus misertus ætatis, & formę, non necauit, sed perfora-

perforatis pedibus, & vimine traiecto eum ex arbore suspendit: quo ex vulnere, & incommodo pedes tumorem retinuerunt.

Τύραννος præterea est additum vt discrimen fieret inter hanc fabulã & Οἰδίποδα ἐπὶ Κολωνῷ. in hac enim regnat, quia Thebanorum Rex erat. in illa verò OEdipus in agro Attico exul vagatur. nomen autem Τυράννου apud priscos in bonam partem accipiebatur. Virg. Æn. 7. 283. 16.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni. Id est, Regi. apud recentiores in malam deinde partem vsurpatum de eo, qui vi rerum potitur.

Τὰ τοῦ δράματος πρόσωπα.

Primas partes habet OEdipus, secundas Creon, tertias Iocaste. Progreditur OEdipus ex regia: inuenit sacerdotẽ, & magnam puerorum turbam, qui habitu supplicantium ante aras se proiecerant. Nam cùm ciuitas grauissima pestilentia laboraret, alij aliò se conuerterant: alij ad templa venerant, vt diuinum auxilium implorarẽt, alij ad Regem confluxerant, qui peterent ab eo, vt rebus afflictis succurreret, & si qua posset ratione remedium ad restinguẽdam illam flammã reperiret. hanc partem susceperat sacerdos. itaque adest ante regiam cum nobilissimis ciuitatis pueris vt oret Regem, vt occidenti Reipublicæ consulat. Quantus igitur fuerit ornatus, & magnificentia istius Scenæ, vel cęcus videat. Regia erat primùm regiè, id est, magnificentissimè apparata ara, & simulachrũ Iouis ante ędes Regias. Sacerdos ante aram venerãda senectute, religiosóque habitu, cœtus lectissimorum puerorum ex flore totius nobilitatis vestitu, cultúque corporis (vt verisimile est) elegantissimo, & rami oleæ lana obuoluti, quos pueri ferebãt de more supplicantium, decus, & ornamentum non mediocre scenæ afferebant. Iam in ipso Rege OEdipode, quam speciem, quod decus, quem ornatum fuisse existimamus? quam venustatem & magnificẽtiam in reliquo scenæ apparatu? Equidem affirmauerim nullam fabulam, ex his saltem, quæ nostris temporibus tam apud Græcos, quàm apud Latinos extãt, actam fuisse splendidiore, magnificentioréque scenæ apparatu. Fabula ipsa adeò probata est, vt

Ariſtoteles ferè ſemper eam in ore habeat. Sæpiſſimè in Poëtica exempla ex ea petit. in libris etiam Rhetoricis eius facit mentionem, denique ſi quis dicat hanc fabulam eſſe ideam, & formã abſolutiſſimæ Tragœdiæ, is meo quidem iudicio non errauerit. Habet enim & inuẽtionem & diſpoſitionem, ac tractationem admirandam: eſt plena affectuum, vt quæ maximam habet περιπέτειαν, & ἀναγνώρισιν ſingularem: habet denique elocutionem dignam Sophocle coniunctam cum iucunditate incredibili.

Πρότασις fabulæ continet ſtatum calamitoſum ciuitatis, & fortunam afflictam, ac ferè euerſam ciuitatem Thebanorum, qui propterea ſupplicant regi, vt ſi quid habet remedij, in mediũ hoc proferat, vt ciuitatis reliquias ſaluas retineat.

Epitaſis habet ſuſpiciones magnas parricidij Laij, & inceſti Iocaſtes. Cataſtrophe funeſta omnia habet, Reginæ interitum miſerum, Regis excæcationem, & exilium, ſed iam ad fabulam ipſam accedamus.

Prologus in Tragœdiis, & Comœdiis (vt antè dictum) idẽ eſt, ac προοίμιον in Epopæia, & in cauſis iudicialibus. author eſt Ariſtoteles lib. 3. Rhetoricorum.

Τὰ μὲν οὖν τῶν ἐπιδεικτικῶν λεγόμενα προοίμια, ἐκ τούτων τὰ δὲ τοῦ δικανικοῦ προοίμια δεῖ λαβεῖν, ὅτι ταυτὸ δύναται, ὅπερ τῶν δραμάτων οἱ πρόλογοι, καὶ τῶν ἐπῶν τὰ προοίμια, τὰ μὲν γὰρ τῶν διθυράμβων ὅμοιά ἐστι τοῖς ἐπιδεικτικοῖς. ἐν δὲ τοῖς λόγοις, καὶ ἔπεσι δεῖγμά ἐστι τοῦ λόγου, ἵνα προειδῶσι περὶ οὗ ἦ ὁ λόγος. Et paulò pòſt. καὶ οἱ τραγικοὶ δηλοῦσι περὶ τὸ δρᾶμα κἂν μὴ εὐθὺς ὥσπερ Εὐριπίδης, ἀλλ' ἐν τῷ προλόγῳ γέπου δηλοῖ, ὥσπερ καὶ Σοφοκλῆς, ἐμοὶ πατὴρ ἦν Πόλυβος. ilud non eſt prætereundũ, hunc locum Ariſtotelis valde mendoſum eſſe, & multos torſiſſe, qui Ariſtotelis Rhethorica interpretantur, nos ita emendamus, tollimus τὸ δηλοῖ, τὸ καὶ, τὸ ἐμοὶ πατὴρ ἦν Πόλυβος. alioqui cogeremur cataſtrophen ferè fabulæ prologum appellare. nam ἐμοὶ &c. eſt penè in cataſtrophe iſtius fabulæ, quod ſi tollatur, nihil abſurdi conſequetur. non enim ſemper Ariſtoteles affert exempla, præſertim cùm res eæ de quibus agit ſint omnium in manibus & oculis, vt eius temporibus erant fabulæ Sophoclis, & Euripidis, hoc autem (ne lõgius abeam) perſpici poteſt vel ex eo, quod ſtatim ſequitur,

F. P. περὶ ὃ τὸ δρᾶμα. L. Προλόγῳ γέπου ὥσπερ Σοφοκλῆς. *nihil præterea addendum. Sophoclis autem locus hic extat pag. ex Hēr. Steph. typis 184.6.*

καὶ ἡ

καὶ ἡ κωμῳδία ὡσαύτως. nullum enim eius rei affert exemplum. ſed ad rem propoſitam redeamus.

Docet igitur hic prologus quis ſit, qui agat, quo cum agat, qua de re agat, & vbi agatur fabula. OEdipus eſt, qui agit: agit cum Sacerdote, quærit ex eo cur ad ſe ita ſupplex cum lectiſſimo cœtu puerorum venerit, vt anſam ei præbeat exponendi qua de re agatur, id eſt, de remedio reperiendo vt ciuitas leuetur peſtilentia.

Locus in quo res aguntur ſunt Thebæ, & ante regiam. Itaque prologus καὶ δηλωτικός ἐστι, τοῦ πράγματος, & facit attentionem, & conciliat regi ſpectatorũ animos. ſignificat ciuitatem in maxima verſari tempeſtate, vt paſſim luctus, gemitúſque audiantur, & turbæ ſupplicãtium, deorumq́; templa adeuntium viſantur. Demonſtrat quanta eſſet regis in ſuos ciues charitas, & cura, ac ſolicitudo de eorum ſalute. vt illius miſericordia maiore poſthac afficiãtur, qui talis princeps, & vir adeò ſapiens fuerit.

Ὦ τέκνα. Ad pueros conuertit ſermonem primùm. deinde vt vitetur cõfuſio, & decorum ſeruetur, iubet, vt Sacerdos tantùm reſpõdeat. quærit igitur cauſam OEdipus cur pueri tam frequẽtes ad ſe confluxerint habitu ſupplicantium, cur paſſim tota vrbe thura, & odores incendantur, preces & gemitus audiantur. hoc fit à Poëta dedita opera, vt ſpectatores doceantur: δηλωτικὸν γὰρ τοῦ πράγματος debet eſſe τὸ προοίμιον, καὶ ὁ πρόλογος. ô pueri Thebani, ſed quemadmodũ à Romulo Romulidæ, ab Ænea Æneadæ, Romani vocabantur, qui à Romulo, & ab Ænea ducerent originem, ita Thebani à Cadmo generis ſui authore Καδμεῖοι vocantur. Καδμεῖοι autem, & τροφὴ Κάδμου idem eſt.

FRANCISCI PORTI CRETENSIS
IN SOPHOCLIS ANTIGONEM
Προλεγόμενα.

ORDO rerum, & temporum postulabat, vt fabula ista sequeretur fabulã OEdipodis ἐπὶ Κολωνῷ: nam OEdipus agnito parricidio, & materno incesto, seipsum excæcauit, id, quod vidimus in OEdipode Tyranno, & regno, atque patria pulsus in Agrum Atticũ proficiscitur: hoc est illius fabulæ argumentum. Sequitur deinde argumentum OEdipodis ἐπὶ Κολωνῷ: nã cùm OEdipus peruenisset in Agrum Atticum, deductus est ad pagum Colonæum, in quo fatale erat, vt ex hominum vita migraret, & inuictos eos redderet, penes quos esset humatus: acceptus itaque est humanissimè à Theseo Rege Atheniensium, & in fidem, atque clientelam receptus: venerat Creon eodem, vt eum abduceret, vt nimirum ipse quoque frueretur beneficio, quo erant fruituri, qui eius cadauere potiti essent: id est, vt inuictus foret aduersus hostes: sed spe deiectus rediit: venerat etiam Polynices, vt patrem suis partibus adiungeret, acceperat enim ipse quoque oraculum, eos videlicet fore inuictos, penes quos OEdipus humatus fuisset: sed re infecta ipse quoque abiit: hæ res constituunt fabulam OEdipodis ἐπὶ Κολωνῷ: quæ sunt deinde consecuta pertinent ad hanc fabulam: nam frustratus spe Creon, qui missus fuerat ab Eteocle, vt patrem reduceret, frustratus etiam Polynices, ad suos vtrique redeunt: ad bellum sese comparant: committunt denique prælium: in eo prælio fratres Eteocles, & Polynices mutuis cadunt vulneribus: Creon succedit regno: curat funus regium Eteocli: cauet edicto nequis Polynicem sepeliat, patriæ scil. hostẽ, & qui suis ciuibus bellum intulisset: qui violasset edictum, capitis pœnã in eum sanxit: at Antigone fratris pietate impulsa, eum sepelit, & à cu-

& à custodibus deprehēsa ad Creontem adducitur, & capite damnatur. Hæc sunt consequuta post res actas ad pagum Colonæum: itaque series, & ordo rerum, atque temporum postulabat, vt hæc fabula sequeretur fabulam OEdipodis ἐπὶ Κολωνῷ, & tamen est præposita, culpa superiorum ætatum, & negligentia nostrorum temporum. Equidem mirari satis non possum neminem hoc seculo inuentum in tanta bonarum literarum, & artium liberalium luce, qui hanc ordinis perturbationem viderit, eámque emendarit, præsertim cùm tot in locis hæ fabulæ fuerint impressæ.

OEdipus agnito particidio, & matris incesto, se ipsum excæcauit, & regno pulsus in agrum Atticum se recepit: hunc vtrumque casum Sophocles duabus elegantissimis fabulis explicauit, quarum altera Οἰδίπους τύραννος, altera Οἰδίπους ἐπὶ Κολωνῷ inscribitur: post eius discessum filij Polynices, & Eteocles regno succedunt ea conditione, vt alternis regnarent annis: primus annus sorte obtigit Eteocli, qui erat minor natu: is rerum potitus, fratri deinde cedere noluit, vt regnũ anno suo administraret. Quidam tamen aiunt Polynicem vt maiorem natu primũ regnasse, & anno absoluto fratri regno cessisse, sed Eteoclem postea regnum retinuisse. Itaque Polynices regno spoliatus Argos venit, & Regis Adrasti filiã ducit in matrimonium, & à socero magnis copiis impetratis, fratri bellum infert, regnúmque repetit: in eo bello fratres congressi inter se mutuis cadunt vulneribus: post obitum eorum Creon, qui erat sanguine proximus regibus, regno succedit, edictóque cauet ne quis Polynicem sepeliat, hostem scil. & qui ciuibus suis bellum intulisset: qui contra edictum fecisset, in eum pœnam capitis sanxit: at Antigone fraterna pietate impulsa, & honesti specie capta, fratrem humo contegit clàm custodibus, quos Creon adhibuerat, ne Polynicis cadauer humaretur: hoc vbi resciuit Creon capitale supplicium interminatur custodibus ni rei authorem reperissent: Custodes reiecta humo, & nudato iterum cadauere, dum attentius custodiunt, Antigonem deprehendunt: redierat eò Antigone id, quod res erat, suspicata, fra-

trem ſcil. vel cuſtodibus, vel ab aliis ciuibus, qui eũ vt hoſtem oderant detectum iri. Quare cum fratrẽ inhumatum reperiſſet, vt vlulatũ fœmineum edidit, & ſeipſam indicauit: accurrunt cuſtodes, manus iniiciunt, & eam ad Creontem adducunt: damnatur denique capite, & viua conditur in caueam ſubterraneam, & laqueo ſeipſam ibi ſuſpendit. Porrò Hæmon Creontis filius, qui virginem amabat perditè, & nuptias eius ambibat, re audita, ad caueam exanimatus prouolat: & cùm virginem extinctam reperiſſet, ſeipſum enſe ſuo transfodit, & moritur: mater eius Eurydice audito filij caſu, doloris impatiens ſe interficit, & funera funeribus addit. Hos omnes caſus vates Tireſias prædixerat Creonti, præceperatq; ne Polynici negaret ſepulturã: Sed vicit regis pertinacia quæ maximarum calamitatum, maximorumq; luctuum fuit ei cauſa: hoc eſt fabulæ argumentum. Hãc ipſam fabulam fecit etiã Æſchylus, & indidit inſcriptionẽ ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, eandem fecit Euripides, quæ habet inſcriptionem φοίνισσαι, fecit etiã alteram eiuſdem argumẽti fabulam, cui inſcriptio ἱκέτιδες: atque adeò tertiam eadem inſcriptione Antigones ſcil. quæ nunc non extat. quanquã in illa lęti ferũtur exitus fuiſſe, in hac funeſti ſunt: in illa enim Antigone deprehenſa fratrem ſepeliens, Hæmoni Regis filio datur in matrimonium, in hac damnatur capite, & mortis cauſa eſt Hæmoni, Hæmon matri Eurydicæ. Itaque hæc Sophoclis eſt verè Tragœdia: eſt enim funeſtiſſima: illa Euripidis erat potius Tragicocomœdia. Iã hæc deſideratur: habemus φοινίσσας, habemus ἱκέτιδας, habemus etiam Æſchyli τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. Seneca etiam Latinè hoc ipſum tractat argumentum in Thebaide, quanquam fabula eſt imperfecta: fabula hæc eſt elegantiſſima, quæ adeò placuiſſe populo Ath. dicitur vt Poëtam ducem deſignauerit aduerſus Samios, qui rebellauerant, & in eo bello adminiſtrãdo, eum Periclis collegam fecerit: Scena Thebas referebat, & Regiam Creontis, vbi res geſtæ ſunt: Chorus conſtat ex Senioribus Thebanis: Antigone agit primas partes, Creon ſecundas, Hæmon tertias.

Prima pars fabulæ habet petitionem: petit enim Antigone à Sorore Iſmene, vt ſociam ſe adiũgat ad fratrem ſepeliendum,

peliendum, illa verò recuſante rem ipſa ſola aggreditur.

Secunda pars fabulæ habet Creontis edictum, quo pœna capitali cauetur ne quis Polynicem ſepeliat: ſed accepto nũtio de violatione edicti, cuſtodibus extremum minatur ſupplicium, ni rei authorem reperiant.

Tertio loco deprehenſa Antigone adducitur ad Creontem, fatetur factum à ſe.i. humatum fratrem: ſed naturæ iure ſe tuetur, tandem damnata à Creonte in cuſtodiã traditur.

Quarto loco Hæmon Creontis filius diſſuadet patri puellæ mortẽ, eámque deprecatur: at Creon incenſus magis filij patrocinio, iubet virginem cõtinuò ad ſupplicium rapi, & viuam coram filio in caueam ſubterraneam condi, at Hæmon ſe proripit, & ſuum interitum patri obnuntiat.

Quinto loco ducitur Antigone ad ſupplicium. atque hæc pars eſt plena affectuum & lamentationum.

Sextò Tireſias ſuadet Creonti ſinat Polynicem ſepeliri, deos iratos eſſe propterea affirmans, neque placari aliter poſſe: ſed illi recuſanti, futura paulò pòſt funera vaticinatur. necem ſcil. filij & vxoris.

Septima & poſtrema pars habet funera Hæmonis, & eius matris Euridices, & ideo luctum Creontis.

Προλογίζει ἡ Ἀντιγόνη.

Antigone cùm audiſſet Creontis edictum, quo cauerat ne quis Polynicem ſepeliret, ſtatuit ſecum ipſa vel capitis periculo fratrem humare: ſed quoniam res ea non ita facilè fieri poterat ſine adiumento aliquo Iſmenem ſororem vocat, vt cum ea conferat conſilia, & petat auxilium. Sed recuſante illa propter periculi magnitudinẽ ipſa ſola rem aggreditur. Apparẽt igitur in hoc prologo duo diuerſa inter ſe ingenia iiſdẽ tamẽ orta parentibus. quorum alterum ad dignitatẽ, honeſtatémq; rapitur, alterũ trahitur vtilitate. Antigone honeſtum, Iſmene vtile ſequitur: illa pro dignitate mortẽ non veretur: hęc magnitudine periculi territa, ſibi cauet, ac proſpicit: illa vel honeſtè viuendum, vel honeſtè moriendũ cẽſet. Iſmene viuendũ quoquo modo iudicat. illa denique fraternam charitatẽ, hæc ſalutem, incolumitatémque ſuam pluris facit. Locus itaque ille com-

munis hic perbellè tractatur, vtrum honeſtas vtilitati, an vtilitas honeſtati ſit anteponenda.

Ὦ κοινὸν. Euocauerat ſororem Antigone, vt eam faceret certiorem de Creontis edicto, & auxilium ab ea peteret in fratre ſepeliendo. Petit igitur ab ea vt ſibi ferat opem, nec capitis periculum vereatur. nam eam eſſe ſibi vitæ acerbitatem, eas ærumnas, & miſerias, vt ſi in fratre ſepeliendo, durius aliquid ſibi acciderit, id animo æquiſſimo ſit ferendum. q.d. hanc fore vnicam rationem, & viam, qua ſe his malis, atque his miſeriis liberent.

Docet ſtatim Poëta quæ ſit, quæ agat, & ad quam dirigat ſermonem. Summa iſtius loci illa eſt: propoſitio. Euocaui te ſoror, vt me adiuues in fratre ſepeliendo: Ratio, quia Creon edicto cauit ne ſepeliatur. Sequitur amplificatio: quod omnium malorum & miſeriarum, quas tulimus, eſt acerbiſſimum: ſed ordinem inuertit, & partitur orationem, quia ſermo hoc poſtulat, & afficit prius ſororis animum à multitudine, magnitudinéque malorum, quibus premebantur, deinde affecto iam animo illius, rem aperit, quò videlicet facilius id ei perſuadeat.

FRAN-

FRANCISCI PORTI CRETENSIS IN OEDIPODEM COLONÆVM

Προλεγόμενα.

OἸΔΙ'ΠΟΥΣ ἐπὶ Κολωνῷ est inscriptio huius fabulę. Casus OEdipodis cognouimus in ea fabula, quę Οἰδίπους Τύραννος inscribitur: in ea.n. OEdipus detecto parricidio, & stupro matris, extincta matre, oculos ipse sibi eruit, regno priuatur, finibus Thebanis paulò pòst expellitur. Quare pulsus inde Athenas venit ductus ab Antigone filia, collocatur in tumulo, cui erat nomen Κολωνὸς, itaque fabulæ nomen impositum ab OEdipode, & loco, ad quem peruenerat. erat autem Κολωνὸς tumulus ab vrbe distans ducentos vltra mille passus, ἢ κατὰ Θουκυδίδην σταδίους μάλιστα δέκα. lib. 8. 108. 11. in quo erant plura templa, Neptuni scilicet, Eumenidum & Promethei: hinc patet hanc fabulam fuisse post OEdipodem Tyrannum, Antigonē post istam. ratio enim & ordo rerum hoc ipsum exigit. Nam OEdipus amisso regno, & pulsus Thebis in agrum Atticum est ductus: eò cùm venisset, ortum est bellum inter eius filios, Etheoclem, & Polynicem de regno. sequuta est cædes vtriusque: tunc Antigone, quæ contra Creontis edictum fratrem Polynicem humauerat, supplicio est affecta. hic erat ordo seruandus: sed nescio quorum culpa, & imperitia fuerit inuersus, & Antigone isti fabulæ præposita.

Fabulæ Argumentum.

Acceperat OEdipus oraculum fatale esse, vt ad tēplum Eumenidum vitam finiret in agro Attico, eos autem inuictos fore, penes quos humatus, curatúsque fuisset: itaque cùm ad tēplum illud peruenisset, curat accersendū The-

ſeum, exponit ei oraculum, petit ne patiatur ſibi vim afferri, né-ve permittat ſe abſtrahi, & Thebas reduci. Futurum enim ait vt Athenienſes, qui potirentur cadauere ſuo, perpetuò victores contra Thebanos eſſent. impetrat hoc à Theſeo. paulò pòſt Creon certior factus de oraculo, Thebis aduenit miſſus à ciuitate vt reducat OEdipodem. Sed nihil proficit, venit etiam Polynices euocandi patris cauſa & ſibi adiungendi, ſed re infecta ipſe quoque abit, cauſa cur vterque, &. Creon & Polynices contenderent potiri OEdipode, erat illa quam paulò antè memorauimus, eos ſcil. inuictos fore, penes quos OEdipus fuiſſet,

> Εἰ γάρ τι πιστὸν ἐστιν ἐκ χρηστηρίων, inquit Polynices,
> Οἷς ἂν σὺ προσθῇ. τοῖσδ' ἔφασκ' εἶναι κράτος.

Hoc erat oraculum, quod iam innotuerat Thebanis & Polynici. Itaque ſtudebant vtrique eum ſibi adiungere: at OEdipus deteſtatus eos, à quibus regno, & finibus pulſus fuerat, hoc beneficium Athenienſibus contra Thebanos tribuit, & apud Colonæos vitam finiit. hoc itaque fingit Poëta, vt gratiam ineat partim patriæ totius, partim ſuorum tribulium, & municipum. Erat enim hic Poëta Colonæus, id eſt, ex municipio, quod dicebatur Κολωνὸς. hæc eſt ſumma argumenti fabulæ. Sed continet multas, & præclaras partes, habet enim in prologo miſerandam collocutionem OEdipi cum Antigone filia: Sermonem non ingratum cum Colonæis, ex quibus conſtat chorus. habet elegantem ſermonem Iſmenes cum patre, & Theſei cum OEdipode, Creontis, & Polynicis cum eodem, habet denique multa alia præclara, & digna cognitu, altercationem OEdipi cum Creonte, & contentionem propter vim, quam ei Creon minabatur: turbas natas ob raptum Iſmenes, & Antigones. Volebat enim Creon quando OEdipodi perſuadere non poterat, vt ſe Thebas ſequeretur, filias abducere, ſperans nempe eum priuatum filiarum miniſterio coactum iri facilè Thebas redire: ſed aduentu Theſei, vis Creontis reprimitur, & filiæ patri reſtituuntur, poſtremò clauditur

fabula OEdipi obitu. Eſt autem fabula, vt quæ maximè artificioſa. nam etſi Tyrannus & Antigone videantur eſſe τραγικώτεραι, & abundare acrioribus affectibus, tamen hæc eſt eò artificioſior, quòd deſtituta iſtis adiumentis, induſtria, & artificio Poëtæ comparet affectus, & excitet miſericordiam in ſpectatoribus: illud enim eſt boni & præſtantis Poëtæ (vt in Poëtica docet Ariſtoteles) ſi rerum ipſarum artificioſa compoſitione, non funerum, & cædis, & ſanguinis ſpectaculo ſemper affectus moueantur. Eſt igitur artificioſiſſima hæc fabula & prudentiæ plena. Scripſit eam Poëta cùm ad ſummam iam perueniſſet ſenectutem: quo tempore à filiis in iudicium eſt vocatus, quòd rem familiarem propter ſtudium negligere videretur, vt quemadmodum more Romano malè rem gerentibus patribus bonis interdici ſolet, ſic illum quaſi deſipientem à re familiari remouerent iudices. tum Poëta Senex dicitur hanc fabulam, quam in manibus habebat, & proximè ſcripſerat, recitaſſe iudicibus, quæſiiſſéque num illud carmen deſipientis videretur, quo recitato ſententiis iudicum fuit liberatus.

Chorus conſtat ex Senioribus Colonæis. res aguntur quaſi in agro Attico, & in ipſo pago τοῦ Κολωνοῦ. OEdipus προλογίζει, primas agit partes, ſecundas Antigone, tertias Polycines.

Τέκνον τυφλοῦ γέροντος: initium prologi eſt παθητικὸν admodum, affectus, & miſericordiæ plenum. inducitur enim OEdipus ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος, celeberrimus (inquam) propter ſapientiam fortuna florentiſſima, & regia maieſtate deiectus, exul errans, miſer alienam quærens terram, in qua conſiſtat, errat autem in regione ignota omnibus deſtitutus ſubſidiis, ab vnica filia, ídque puella, & virgine curatus & ductus. hæc attributa omnia habent affectus, & mouent animos, id, quod Tragœdia in primis ſpectat, nempe τὸν ἔλεον.

Eſt autem ὁ πρόλογος δηλωτικὸς τοῦ πράγματος, id eſt, habet ſignificationem rei, de qua agitur, quemadmodum etiam

proëmium. diximus enim aliâs ex Ariſtotelis ſententia idem eſſe κατὰ τὴν ἀναλογίαν τὸ προαύλιον, προοίμιον, & πρόλογον. Sed προαύλιον eſſe præludium Tibicinis, quod dat ſignificationem τοῦ ἐνδοσίμου, id eſt, τοῦ μέλους, carminis, quod accinitur poſt προαύλιον. προοίμιον eſt initium oratoris & orationis. πρόλογος fabularum. habet igitur hic Prologus ſignificationem rei, quę agitur: ſignificat OEdipodem eſſe in ſcena ductum ab Antigone filia, vt nouas ſedes in agro Attico quærat.

FRAN-

FRANCISCI PORTI CRETENSIS IN SOPHOCLIS TRACHINIAS

Προλεγόμενα.

EVENVS est flumen, quod per Ætoliam fluit, & in mare Ionium irrumpit: ad eius ripas Nessus Centaurus portitor consederat, & viatores vltrò citróque commeantes exigens portorium transuehebat: huc Hercules cùm peruenisset cum vxore Deianira, pro ea soluit portorium, ipse flumen tranat. Nessus dum traiicit Deianiram, ei vim inferre aggreditur: sed illa sublato clamore hoc Herculi significat. Hercules iaculatus Centaurum sagitta transuerberat: ille moriturus Deianiræ persuadet se habere philtra, id est, venena amatoria, quæ si susciperet, ac penes se haberet, & asseruaret, futurum dicebat vt Hercules nunquam ab ea suum amorem ad aliam auerteret. Philtra erant venena: Deianira credula ea accipit, & cōdita in concha apud se seruat: at Hercules variis postea rebus gestis, tandem Tarchine cogit copias, & bellum infert Euryto Regi OEchaliæ: quo superato, filiam eius Iolem captiuam. Trachina mittit: ipse subsistit ad Cenæū Eubœæ promontorium Ioui parenti ob res fœliciter gestas sacrificaturus: præmittit Trachina Licham famulum cum præda belli, & captiuis, inter quas erat Iole Regis Euryti filia, eximia forma ac venustate, tum Deianira, quæ viderat iam Iolem, & eius formam, ac venustatē admirata fuerat, suspicata Herculem eius amore captum, recurrit ad venena Nessi (vt ipsa putabat) amatoria: sumit elegantem, splendidámque tunicam, vngit veneno, eámque marito per Licham mittit: simulat se votū fecisse eiusmodi, si maritus rediisset sospes, se ornaturam illum ista tunica, eam accipit Hercules, comparat se ad id sacrificiū, induit tunicam veneno infectam: simulatque illa concaluit, virus in artus diffundit & ciet.

cruciatus teterrimos: tum Hercules Licham quasi nocentem & proditionis reum arripit: & eum rotatum deiicit de summo promontorio præcipitem:ipse laceratus vi veneni, & dolorum impatiens, imperat filio Hyllo curet se in continentem transportandum: paret filius: transuehit patrem, præcurrit ipse Trachina, & matri Deianirę tristissimum affert nuntium: illa vix tandem dolos Centauri, & se deceptam agnoscit: itaque culpæ conscia se interficit: Hercules curat se ad montem Oetam deferendum, pyram extruendam ab Hyllo filio, & se in eam impositū cremari iubet. Res aguntur Trachine. Trachin est oppidum Thessaliæ ad montem Oetam, conditum ab Hercule, sic vocatum ob loci asperitatem.

Scopus fabulæ eò spectare videtur, vt Poëta docet, quā funestum exitum habeant ij conatus, qui cæca cupiditate tantùm nullo reguntur consilio: hoc facilè apparet in Deianira, quæ acta Zelotypia nimium credulam Centauro se exibuit: atque ita & virum clarissimum veneno, & sèipsam gladio extinxit.

Fabulę inscriptio est à Choro, qui ex Trachiniis mulieribus constabat.

Deianira primas agit partes. Lichas secūdas, tertias Hercules. Prologus ex arte, docet quis sit qui agat, quibus cum agat, qua de re, quo in loco, ne spectatorum, auditorúmq; animi incerti pendeāt: Deianira est, quæ agit: agit cum ancilla: queritur se regum filiam, & antequam nuberet, ærumnosissimam fuisse, & nuptam Herculi semper in assiduo timore, perpetuáque viuere solicitudine: significat denique hæc omnia Trachine agi.

ΕἸΣ ΤᾺΣ ΤΡΑΧΙΝΊΑΣ ΠΡΟ-
λεγόμενα.

ΛΌΓΟΣ μὲν ἐστ' ἀρχαῖος. Prologi propoſitio illa eſt: Ego ſum calamitoſiſſima, miſerrimáque omnium mearum ciuium, atque adeò mulierum omnium. Ratio, nam & antequã Herculi nuberem, & poſteaquam ei nupſi, miſerrima ſemper fui, atque adeò ſum: Confirmatio: nam antequã Herculi nuberem, fluuius Achelous triforme illud monſtrum, meas ambibat nuptias, quem ego horrebam, & deteſtabar, & iuncta, copulatáque Herculi, ſemper in aſſiduo nutu, & mœrore vixi, ac viuo. Cõcluſio: ergo ante vitæ diem extremum facilè poſſum pronuntiare, ac ſtatuere me eſſe miſeram: ergo falſum illud Solonis celebre dictum, neminem ante obitũ poſſe ſtatuere vtrum quis miſer, an beatus ſit: refutat igitur dictum Solonis, & ex eo orditur Prologus, qui eſt valde παθητικὸς, & τραγικός: continet enim Deianiræ conqueſtionem grauem & doloris plenam. Dictum Solonis eſt in eius vita apud Plutarchum. eſt etiam apud Herodotum ἐν τῇ Κλειοῖ. 7. Vetus eſt dictum illud ab hominibus vſurpatum, neminem ante vitæ finem poſſe ſtatuere vtrum miſer an beatus ſit. Eleuat, & refutat Solonis dictum: quod etiam in fine OEdipodis Tyranni commemorauit.

> Ὥστε θνητὸν ὄντ' ἐκείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν.
> Ἡμέραν ἐπισκοποῦντα, μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν
> Τέρμα τοῦ βίου περάσῃ, μηδὲν ἀλγεινὸν παθών.

Λόγος μὲν ἐστ' ἀρχαῖος. σημείωσαι hoc à perſona Poëtæ dictum eſſe, qui fuit Solone poſterior: nã Hercules fuit multis ſeculis ante Solonem: eſt ergo ἀναχρονισμὸς καὶ πρόληψις: vt apud Virgilium Æneidos. lib. 1. & lib. 6.

--- Lauinaq́ littora venit.
--- Portuſq́ require Velinos.

FRANCISCI PORTI CRETENSIS IN SOPHOCLIS PHILOCTETEM

Προλεγόμενα.

ACCEPERANT Græci ab Heleno vate Troiano, Troiam ſine arcu, & ſagittis Herculis capi non poſſe: hæc arma erant penes Philoctetem, qui propter vlceris intolerabilem fœtorem in Lemno inſula relictus fuerat: mittunt Neoptolemum, & Vlyſſem in eam inſulam, vt hominē ad caſtra adducerent: hoc illi faciunt, ſed diuerſa ratione. Vlyſſes, vt ſemper, vtitur ſuo ingenio, & dolos, quibus erat inſtructiſſimus, ſemper verſat: Neoptolemus quamuis primò inductus ab Vlyſſe diſceſſerit & ipſe ab ingenio, tamē ad extremum redit ad ſeſe, & arcus, quos per dolum Vlyſſe ſuaſore abſtulerat, reddit Philoctetæ: habemus itaque in hac fabula duo diuerſa ingenia, & inter ſe diſſimilia: alterum Vlyſſis, verſutum, & doloſum: alterum Neoptolemi, ſimplex, & apertum: inducit Vlyſſes Neoptolemum, vt ſimulet ſe iratum Atridis, quod patris arma, quæ ad ſe iure hæreditario pertinebāt, Vlyſſi dederint, ſibi erepta, & ſe propterea diſceſſiſſe, & redire domum: impetrat ab eo Philoctetes, vt ſe etiam vnà abducat: hoc Philoctetæ contigit gratiſſimum: credit Neoptolemo: itaque doloribus ex vlcere excitatis, arcum, & ſagittas ei aſſeruandas tradit: ipſe vi cruciatus, exagitatus, ſomno denique oppreſſus, quieſcit modicum: expergefactus deinde, audit ad caſtra Græcorum ſibi eſſe nauigandum, ſi arcum, & ſagittas velit recipere. Hoc inſtar mortis ei viſum eſt: lamentatur itaque grauiſſimè, & perfidiæ, atque proditionis accuſat Neoptolemum. Sed is tandem ſentētia mutata arma reddit, Vlyſſe inuito, atque reſiſtente. Philoctetes tamen eos ad Troiam ſequitur: Hercules enim apparet, & ei hoc ſuadet: fabula igitur quaſi in Lemno inſula. Chorus conſtat ex ſenioribus, qui Neoptolemum

lemum secuti fuerant. Docuit etiam Æschylus & Euripides eandem fabulam: sed nostris temporibus ea non extat: vicit autem omnes Sophocles. Actius etiam Latinè scripsit hanc fabulam, quæ nostris temporibus non extat temporum iniuria, qua factum est, vt non solùm Græcorum, sed etiam Latinorum plurimæ fabulæ desiderentur: & in primis Actij huius, & Pacuuij nobilissimi Poëtæ Tragici.

Illud autem notandum est, fabulam istam esse potius ἠθικὴν quàm παθητικὴν, hoc est, ad mores informandos, & vitam instituendam magis, quàm ad mouēdos affectus pertinere: nam nullum habet funus, nullius mortem cōtinet: habet illa quidem miserandum Philoctetæ casum, qui rerum omnium egenus grauissimè ægrotans, ope medicorum, ac ministrorum destitutus agebat in solitudine: sed tamen hæc eius fortuna in bonum est conuersa: nam proficiscitur ad Troiam, sanatur opera Machaonis, & Troiam vnà cum cæteris Græcis euertit: non est igitur παθητικὴ (vt diximus) hæc fabula, sed est ἠθικὴ, & continet morum informationem: in primis proponit nobis duo diuersissima ingenia Vlyssis, & Neoptolemi, quorum alter versutus & dolosus, alter apertus, & simplex. Vlysses sequitur vtilitatem, & vt eam consequatur dolos versat. Neoptolemus amplectitur honestatem, & ab ea diuelli non potest: itaq; Poëta proponit nobis duo illustria exempla, sub illustrium principum personis, quæ docēt, quid vtilitas, quid valeat honestas, vt iis ad vitam, vsúmque quotidianum, cùm res ita tulerit, vtamur.

Ἀκτὴ μὲν ἥδε: in Lemno insula (vt diximus) agitur fabula: sed Vlysses qui primas agit partes, docet qua in parte insulæ res agantur: in ora itaque maritima, & in litore, quò videlicet, naui vectus appulerat, significat rem agi: docet Neoptolemum adolescentem rerum locorúmque imperitū, quo loco sint, quo nomine vocetur insula: Philoctetem, quem quærebant, & cuius causa eò venerant, in ea esse expositum olim, & relictum à se propter teterrimum vlceris odorem, & propter eius assiduas ex doloribus vociferationes, quibus dies, noctésque fatigabat exercitum:

hæc docet Vlysses Neoptolemum, & simul spectatores: proponit denique adolescenti, quæ sint gerenda, & quæ partes ei relinquantur: quærendum diligenter, reperiendúmque esse antrum dicit, in quo agit Philoctetes, & explorandum adsit, néc-ne ille, atque ad se omnia referẽda, vt ex illius vel præsentia, vel absentia, ipse, quid sit agendum statuat.

Idem erat principium (vt refert Scholiastes) etiã in Euripidis Philoctete: Vlysses primas agebat partes: sed hoc ait Scholiastes interesse inter hãc, & illam fabulam, quòd in illa Euripides totum istud negotium vestigandi, & reperiendi domicilij Philoctetæ Vlyssi tribuat: in hac Sophocles addat Vlyssi administrum Neoptolemum.

ἀκτῆ: ineptum & ridiculum est, quod ait Scholiastes, propterea Poëtam dixisse ἀκτῆ, quòd esset insula Lemnos, quasi desint litora in continenti.

***

FRANCISCI PORTI CRETENSIS AD ORATIONEM DEMOSTH.

περὶ παραπρεσβείας παρασκευή.

ΠΑραπρεσβεία (vt ait Suidas est) τὸ ἔξω τι τῶν προστεταγμένων διαπράξασθαι falſam legationem obire, vel falſò renuntiare legationem: παρὰ in compoſitione præter alia quædam ſignificat trans, & præter, vt παράβασις, παρανομία, &c. ita παραπρεσβεία eſt legationis tranſgreſſio, & violatio mandatorum, quæ acceperant legati: hoc igitur criminatur, & obiicit Demoſthenes Æſchini, nempe in legatione ad Philippum Macedonem de pace, cum mandata populi Atheniẽſis violaſſe: longè alia feciſſe quàm ea, quæ populus, atque Senatus ei mãdauerat: falſa retuliſſe, ac decepiſſe populum, inde factum, vt Phocenſes amici, atque ſocij Atheniẽſium euerſi fuerint: hæc omnia patraſſe eum criminatur corruptum à Philippo: itaque περὶ παραπρεσβείας inſcripſit iſtam cauſam: eius argumentum explicabimus, vt res planior fiat.

Argumentum.

Erat bellum inter Athenienſeis, & Philippum Regem Macedonum pro Amphipoli vrbe Macedoniæ, quæ olim fuerat Athenienſium, tum à Philippo armis capta tenebatur: huius belli diuturnitate, ac difficultate defeſſi Athenienſes pacem concupiuerunt, itaque mittunt legatos x. ad Philippum, vt ageret de pace: in legatorum numero erant Æſchines, atque Demoſthenes: annuit pacem Philippus: itaque iidem legati rurſus ad eum redeũt, vt fœdus facerent, & pacem confirmarent: in hac ſecunda legatione tria obiicit Demoſthenes Æſchini.

Vnum, quòd Philocrati collegæ ſuadenti pacẽ turpem, & detrimentoſam aſſenſus fuerit.

Alterum, quòd tempus opportunum fœderis faciendi

neglexerit, & moras in Macedonia duxerit, vnde factum, vt Philippus plura Ath. oppida, & castella quæ habebant in Thracia, subegerit.

Tertium, & postremum, quòd falsa relatione, ac pollicitatione populum Ath. induxerit, vt nulla auxilia Phocensibus mitteret: itaque illos destitutos, à Philippo funditus euersos fuisse. Criminatur Æschinem retulisse ad Athenienseis Philippum habere in animo id, quod erat falsum, Phocenseis conseruare, Thebanos communeis hostes euertere: populum Ath. fidem habuisse, atque ita nulla misisse auxilia Phocensibus: vnde factum, vt euersi fuerint amici, & socij firmissimi Ath. Sed quo premit, & vrget potissimum Orator Æschinē, illud est: nempe quòd causa, & origo interitus Phocensium fuerit, ídque muneribus corruptus à Philippo: hoc signis probat, & coniecturis, primum quòd Philocrati turpissimam, & maximè detrimentosam pacem suadenti patrocinatus fuerit. Secundū, quòd opportunitatem fœderis faciūdi neglexerit, & tempus rei peragendæ priusquā Thraciæ oppida subigerentur, frustra in Macedonia consumpserit. Tertium, quòd falsis pollicitationibus populum retinuerit, ne sociis & amicis mitteret auxilia: nā nisi corruptus fuisset, neque cum Philocrate consensisset, qui pacem faciēdam esse censebat etiam exclusis amicis, & sociis Phocensibus, neque tempus rei gerendæ frustra triuisset, neque denique falsa populo retulisset. Atque ita Orator præcludit omnem aditum Æschini petendæ veniæ: demonstrat enim eum non ob imprudentiam, & ignorationem, sed scientem, prudentémque Phocensium excidium struxisse.

Sed quoniam illud erat dubium, & controuersum, corruptus néc-ne Æschines legationem ementitus fuisset, & author excidij Phocensium extitisset, hoc suscipit Orator demonstrandum, & in eo suos contendit neruos: variis itaque signis, & coniecturis hoc probat. Non odit Philippum Æschines, quamuis ab eo deceptus sit, tamen ei fauet: suffragatus est, & iuuit eum, vt in Amphictyonum concilium reciperetur: intimam habet familiaritatem cū Philocrate, qui fatetur ipsemet se corruptū à Philippo fuisse,

& acce-

& accepiſſe munera. Pruocatus ab Hyperide recuſauit dicere teſtimonium in Philocratem reum ob eiuſmodi ſordes factum. Legatus ad Philippum deſignatus, vt de illius perfidia quereretur, ſimulauit ſe ægrotare: non deſignatus poſtea euerſis iam Phocenſibus, ad Philippum ſponte ſua eſt profectus: his ſignis Orator probat Æſchinem accepiſſe munera.

Cauſæ ſtatus cõiectura eſt: quæritur enim an corruptus à Philippo Æſchines excidij Phocenſium author fuerit: τὸ κεινόμενον, id eſt, quod venit in controuerſiã, eſt item coniectura: nam Rhetores præcipiunt in ſtatu iſto coniecturę, vbi nulla ratio, & firmamentum affertur eius rei, quæ negatur, ex intentione, tantùm, & inficiatione diſceptationem, id eſt, τὸ κρινόμενον cõſtitui. Eſt igitur hic intentio, Corruptus à Philippo Phocenſes euertiſti: Inficiatio, neque à Philippo corruptus fui, neque Phocenſes euerti: Τὸ κεινόμενον, fuerit nec-ne corruptus, & fuerit nec-ne author excidij Phocenſium.

Cauſa illa fuit Demoſtheni, vt Æſchinem in iudicium vocaret, quoniam ille Timarchum, qui erat neceſſarius Demoſthenis turpiter actæ vitæ accuſauerat, & iudicio turpi damnatum honoribus, & dignitate priuauerat. Itaq; Orator vt iniurias amici vlciſceretur, Æſchinem ſolus fecit reum: ſed, iudicium factum traditur triennio poſt Phocenſium excidium.

Procœmium hoc habet partim alienationem iudicum ab aduerſario, partim affectus, partim attẽtionem, partim deniq; memoriæ renouationem: alienat Orator iudicum animos à reo, iactis ſuſpicionibus, quibus ſubindicat eum cauſæ ſuæ diffidere, itaque multos, & claros viros aduocaſſe, & magna contentione, ac prenſatione vſum fuiſſe: nam veriſimile videtur cauſam eſſe deteriorem eius, qui ſtudiis aduocatorum gratiam iudicum inire nititur: ſtruit inuidiam reo, quòd geſtæ Reipub. rationem reddere recuſet: hunc locum amplificat per collationem: demonſtrat enim ceteros ciues, qui publica gerunt munera, etiamſi rationes antè retulerint, copiam tamen, & poteſtatem ſui accuſandi facere cuilibet: Æſchinem ſolum morem, & in-

ſtitutum ciuitatis aſpernari. Rapit eundem in inuidiam à vi, & moribus Tyrãnicis in libera ciuitate: nam ſi qui ſunt, qui velint eum accuſare, horum alios tollere de medio, aliis minitari: hoc factũ Æſchinis exaggerat Orator per cõqueſtionem: fit præterea attentio à magnitudine, atque atrocitate criminum, quæ Orator pollicetur ſe demonſtraturum.

Renouatur deniq; memoria Iudicum ob eam cauſam, quam ſuprà attigimus: nam triennio poſt Phocenſium excidium cauſa hæc in iudicium deducta eſt: multum autem intereſt ad animorum permotioné ſi crimina ſint recentia: nam ſi ſint inueterata, temporis diuturnitate paulatim effluunt ex animis, & obliuioni mandantur. Atque ita motus animorum ad vlciſcenda flagitia facilè refrigeſcunt: renouat itaque Orator propterea temporum, & criminum memoriam, quæ iam inueterata videbatur.

Ὅσπ μὲν ὦ ἄν. ἀθ. Quanta in hoc iudicio Atheniéſes contentione, quantáque prenſatione vſus fuerit Æſchines, omneis ferè vos exiſtimo animaduertiſſe. Confligit ſtatim Orator in ipſo principio cum aduerſario, & eius aduocatis, & conflat ei inuidiam, quòd legibus, & iudicum religioni vim afferre ſtudeant.

Μετὰ θαυμασμοῦ, καὶ ἐμφάσεως indicat Orator magnam aduocatorum frequentiam fuiſſe, qui Æſchinis cauſa prenſabãt Iudices, & gratiam eorum ambibant: id eſt, petebant tacitè ne eum damnarent, quamuis eius cauſam malam eſſe ſcirent. Hoc autem iniquum, & inuidioſum eſt, petere nempe à Iudicibus iuratis, vt leges, & religionem iuriſiurandi negligant, & nocentiſſimum reum abſoluant: atque ita rapit in inuidiam Æſchinem, qui leges, & inſtituta ciuitatis euertat, & gratia, potentiáque ſua iudiciis vim inferat: Locus eſt Inuidiæ.

Hac eadem ſententia, & hoc ipſo inuidiæ loco vſus eſt Æſchines in principio ſuę actionis in Cteſiphonté. Τὴν μὲν παρασκευὴν ὁρᾶτε ὦ ἀθηναῖοι, καὶ τὴν παράταξιν, ὅση γεγένηται, καὶ τὰς κατὰ τὴν ἀγορὰν δεήσεις, αἷς κέχρηνταί τινες ὑπὲρ τοῦ τὰ μέτρια, καὶ τὰ συνήθη μὴ γίγνεσθαι ἐν τῇ πόλει.

Hunc locum inuidiæ fuſius ibi tractat Æſchines: legite illud

re illud principium: est plenum artificij, & lectu dignum.

Hunc locum quodammodo adumbrauit etiam Cicero in Oratione pro M. Celio, 3. vol. Or. 41.

Quæ sit multitudo in foro, quæ genera, quæ studia, quæ varietas hominum, videtis, &c.

Ὅση, absolutè positum hoc nomen iam habet admirationem: aliàs habet suum ἀνταποδοτικὸν, τόσην, vel τοσαύτην. ἐν τῷ περὶ στεφάνου. Ὅσην εὔνοιαν ἔχων ἐγὼ διατελῶ τῇ τε πόλει καὶ πᾶσιν ὑμῖν, τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν εἰς τουτονὶ τὸν ἀγῶνα.

Σπουδή: μεταφορικῶς Cic. Fam. 2. 20. Libonis, & Hypsei concursatio, & contentio, omniúmque Pompeij familiarium studium in eam opinionem rem adduxerunt, vt Pompeius cupere videatur, &c.

Παραγγελλία: δέησις paulò pòst, παραγγέλλειν, precari ambitiosius, inde παραγγελλία precatio eiusmodi & prensatio.

Ἠσθῆσθαι: animaduertisse, percepisse, vidisse.

Ἑωρακότας: probat magna contentione, ac prensatione vsum Æschinem: vosipsi paulò antè, cùm sortitio fieret, frequentiam aduocatorum vidistis, & importunas eorũ preces sensistis: Iudicum ipsorum iudicium habet maximum pondus, & præiudicium aduersus reum Æschinem: verisimile enim videtur eos, qui animaduertissent reum suæ causæ diffidere, eum iam tacitos mente, & cogitatione damnasse.

Ἐκληρῶσθε: Archontes sortiebantur Iudices: iudicia pleraque erant κληρωτὰ, id est, sortitione constituta, erãt etiam αἱρετά.

Ἐνοχλοῦντας: interpellantes.

Καὶ προσιέντας: prehensantes.

Δεήσομαι δὲ πάντων ὑμῶν: Ego verò petam à vobis omnibus ea, quæ sunt præstanda vel iis, qui nihil tale petunt: vt neq; gratiam vllam, neque virum quemquam pluris faciatis, quàm æquitatem, & iusiurandum, quo vnusquisque vestrûm obstrictus huc ad iudicãdum venit. Hic orator facit quandam antithesin, & collationem sui cum aduersario: nam confert suum factum cum facto Æschinis: declarat eum oppugnare leges, & iudicum religionem, & fretũ sua potentia, aduocatorúmque gratia id agere, atque moliri,

vt iura ciuitatis euertat, ſe tueri leges, & iura, inſtitutáque ciuitatis, nulla re alia fretum, quàm legibus ipſis, & iuriſiurandi religione, qua Iudices obſtricti ad cognoſcendam iſtam cauſam venerunt: atque ita in inuidiam rapit aduerſarium, ſibi conciliat iudicum voluntates. Se enim bonum virum, & bonum ciuem, defenſorémque Reipublicæ eſſe docet: Æſchinem contrà, improbum ciuem, legum, & libertatis hoſtem, & euerſorem.

Μήτε χάριν, μήτε ἄνδρα: ἓν διὰ δυοῖν: nullum virum gratioſum: Eubulum innuit, quem non nominat ῥητορικῇ τέχνῃ.

Εἰσελήλυθεν: ad iudicandum venit: de Iudicibus iam: aliâs de reo, qui in iudicium adducitur: & qui adducit, dicitur εἰσάγων.

Ἐνθυμούμενος: corrigite ἐνθυμουμένους. αἰσχίνης ἐν τῷ περὶ τῆς παραπρεσβείας. Δέομαι ὑμῶν ὦ ἀθηναῖοι ἐθελῆσαι μετ᾽ εὐνοίας ἀκοῦσαί μου λέγοντος ὑπολογιζομένους τό, τε μέγεθος τοῦ κινδύνου, καὶ τὸ πλῆθος τῶν αἰτιῶν πρὸς ἃς ἀπολογήσασθαί με δεῖ, καὶ τὰς τέχνας, καὶ τὰς κατασκευὰς τοῦ κατηγόρου, καὶ τὴν ὠμότητα, illud vobiſcum reputantes, legum, & iuriſiurandi cõſeruationem è re veſtra, & totius ciuitatis eſſe, aduocatorum verò iſtas preces, & ſtudia, potentiæ, quæſtúſque priuati cauſa ſuſcepta eſſe.

Ταῦτα: τὸ δίκαιον, καὶ τὸν ὅρκον: quorum alterũ terret, alterum pudore quodam afficit.

Aliquid εἶναι ὑπέρ τινος, aliquid eſſe ſalutare alicui, aliquid facere ad retinendam cõſeruandámque ſalutem alicuius, 39. περὶ στεφάνου.

Ἐπειδ᾽ ὅπερ ἐστὶ μάλιστ᾽ ὑπὲρ ὑμῶν, καὶ τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας τε καὶ δόξης, τοῦτο παραστῆσαι τοὺς θεοὺς ὑμῖν.

Σπουδαί: ſtudia, contentiones.

Τῶν ἰδίων πλεονεξιῶν ἕνεκα: propter priuatos quæſtus, vel propter priuatam potentiam: vel propter priuatas cupiditates: hoc loco quadrare videtur aptius potentiæ ſignificatio: hoc indicant ea, quæ ſequuntur.

Ἃς ἵνα κωλύηθ᾽, quas vt coërceretis, & labefactaretis. Huc legum authoritate conueniſtis: οἱ νόμοι, προσωποποιΐα.

Οὐχ ἵνα κυρίας: non vt flagitioſis hominibus eas confirmaretis: κυρῶ, ποιῶ κύριον.

Τοὺς μὲν οὖν ἄλλους: pergit Orator cõflare inuidiam Æſchini &

ni & eius violentiam patefacere. Cæteri ciues, inquit, qui ad Rempublicam administrãdam adeunt, etiã si rei gestæ rationes retulerint, potestatem tamen faciunt cuilibet accusandi sui: Æschines vnus eos gerit spiritus, adeò est violentus, & legum, æquabilitatisq; contemptor, vt salutare istud institutum negligat, & gestæ legationis rationẽ reddere recuset: itaque alios de medio tollit, alios terret minis. Collatio.

Προσέρχονται πρὸς τὰ κοινά: capessunt Remp. τὰ κοινὰ πράγματα, τὸ πλῆρος. Sequitur τὸ πολιτεύεσθαι.

Δικαίως: recto proposito, vt iuris cõmunis æquabilitatem scil. retineant, non vt præstantia dignitatis, ac potentię insolentius se gerant, & gratiam, potentiámque suam alant, libertatem, iura, & leges ciuitatis euertant, & ex incommodis publicis quæstus, & commoda priuata sibi comparent.

Τὴν ἀπελογίαν ὁρῶ προτεινομένους: video potestatem facere cuilibet sui accusandi: ἀπελογία, verbum forense. Ἡ λέξις τῆς ἀπελογίας πεποίηται τῷ ῥήτορι κατὰ τινάς.

Προτεινομένους: offerre, porrigere, id est, copiam facere. Metaphora sumpta ab iis, qui porrigunt aliquid, & eius copiã accipienti faciunt. Προτείνειν τὴν δεξιάν, τὰ δίκαια.

Τουτονί: τὸ δεικτικὸν σχῆμα σφοδρόν.

Πολὺ τἀναντία τούτων: ergo ἄδικος.

Τὸν μὲν ἀνῄρηκε: Timarchum intelligit, quẽ Æschines turpiter actæ vitæ accusauerat, & turpi iudicio damnatum priuauerat omni honore, ac dignitate: amittere autem iura & honores ciuitatis erat propemodum esse mortuum: vel quia laqueo sibi cõsciuit mortem infamiæ notam ferre nequiens. Extat ea causa κατὰ τιμάρχου. Τὴν ἀτιμίαν appellat capitis supplicium, quemadmodum Cicero in Quintiana causam sponsionis vocat causam capitis.

Τῶν ἐπὶ τὰς εὐθύνας ἐλθόντων: Timarchus enim cum Demosthene detulerat nomen Æschinis.

Ἐπὶ τὰς εὐθύνας: in hoc iudicium, vt eum accusarent, & legationis gestæ rationes ab eo reposcerent.

Τοῖς δὲ: consecutio postulabat, ἐμοὶ δὲ: sed augendi causa dixit τοῖς δὲ, vt subindicaret plures esse accusatores AEschi-

nis, & crimina ab eo admiſſa, multa, & inſignia eſſe: alio-
qui non tam multos accuſatores futuros fuiſſe. Ἔμφασις.

Περιιὼν: ſtudium AEſchinis indicat hoc participium. paſ-
ſim, huc, atque illuc volitans, vel in foro, vel per vicos vr-
bis, vt eos ab inſtituta accuſatione deterreat: quod eſt ty-
rannicum, & violentum in libera ciuitate: hos mores Ari-
ſtophanes exprimit in Cleone ciue turbulentiſſimo ἐν τοῖς
ἱππεῦσιν.

Δεινότατον πάντων ἔθος: iniquiſſimam omnium conſuetudi-
nem, & vobis pernicioſiſſimam in Rempub. introducens:
δεινὸν, τὸ φοβερὸν, τὸ μέγας, τὸ ἰσχυρὸν, Ἑρμογένης ἐν τῷ περὶ δεινότητος ἀγα-
νάκτησις, ἐπιφώνημα.

Εἰ γὰρ ὁ πράξας: nam ſi quis geſſit, & procurauit munus pu-
blicum, terrore ſui, nõ æquitate efficiat ne à quoquam ac-
cuſetur, omnem planè vobis authoritatem eripiet.

Τῷ δικαίῳ: iure ac legibus.

Κατασκευάσει: ſtruxerit.

Ἄκυροι πάντων γενήσεσθε: omnem omnium rerum authori-
tatem amittetis.

Τὸ μὲν οὖν ἐξελέγχειν. Neque verò dubito quin vobis ſim
probaturus, & planum facturus AEſchinem multa, & gra-
uia facinora admiſiſſe: itaque ſupplicio extremo afficien-
dum eſſe. Cõfido enim, & perſuaſum hoc habeo: ſed quod
vereor, quamuis hæc explorata habeam, hoc dicam apud
vos, & minimè diſſimulabo. Intelligit Orator veteres in-
iurias ex animis Athenienſium effluere: atque ita fieri, vt
minus graues exiſtimentur: illud igitur Orator ſtruit, &
molitur vt demonſtret crimina, & iniurias AEſchinis non
propterea leues exiſtimandas eſſe quòd aliquod temporis
ſpatium interceſſerit: nam, vt paulò antè diximus, trien-
nium interceſſerat inter delationem eius nominis, & iudi-
cium factum. Sed res ipſas, & crimina eſſe ponderanda.

Δεινά: grauia, atrocia.

Ἐσχάτης τιμωρίας, pœnam capitis intelligit, τιμωρεῖν, τιμὴν, ὅ
ἐστιν ἐκδίκησιν αἱρεῖν.

Θαῤῥῶ, θαῤῥεῖν τὶ, eſt certum, & exploratũ habere aliquid.
Θαῤῥεῖν τινὶ, confidere aliqua re, θαῤῥεῖν θάνατον μεταβατικῶς eſt
contemnere mortem, & audaciter ire ei obuiam. Ibo ani-
mis.

mis contra vel magnum præſtet Achillem. lib. XI. Virg. καὶ πάνυ πιςεύω, ἐπεξήγησις.

Καὶ οὐκ ἀποκρύψομαι: neque celabo, neque diſſimulabo.

Πάντες οἱ παρ' ὑμῖν ἀγῶνες: cauſæ omnes, quæ apud vos aguntur, ſunt non minus temporum, quàm criminum ipſorum, id eſt, in cauſis, quæ apud vos aguntur, non minus valent ſpatia, & interualla temporum, quàm criminum ipſorum atrocitas: quamobrem? quia nimirum vetuſtas affert obliuionem, qua aboletur memoria iniuriarum: vel contemptionem propter conſuetudinem. vnde fit, vt non ita ſeuerè animaduertatur in flagitioſos, & nocentes homines. Παρ' ὑμῶν, corrigite παρ' ὑμῖν. Caſtigat Athenienſes Orator, & acuit eorum animos, & excitat memoriam temporis vetuſtate conſopitam.

Καὶ τὸ χρόνον γεγενῆσθαι μετὰ τὴν πρεσβείαν πολύν: Et quia longum temporis ſpatium inter legationem, & iudicium hoc interceſſit, vereor ne id vobis attulerit obliuionem, vel iniuriarum contemptionem propter prauam huiuſmodi conſuetudinem.

Συνήθειαν τῶν ἀδικημάτων: ne vobis inſeuerit conſuetudinem, id eſt, neglectionem iniuriarum: μετωνυμικῶς, hoc eſt, vereor ne diuturna iſta conſuetudo callum obduxerit vobis ita, vt flagitia, & iniurias hominum nocentiſſimorum non ſentiatis. Οὐλπιανός. δύο γὰρ ταῦτα ὁ χρόνος ποιεῖ. ἢ γὰρ ἐπιλανθανόμεθα, ἢ συνεθισθέντες ὡς καλὰ ἀγαπῶμεν.

Poterat AEſchines queri, & dicere iniuriam mihi facis ô Demoſthenes, qui tot annis poſt legationem geſtam me accuſas: nam ſi perperam geſſi legationem, debueras ſtatim è re nata me in iudicium vocare, atque arguere, non tot annis pòſt periculum creare, cùm memoria rerum geſtarum ex animis effluxit: de hoc poterat AEſchines queri, & arguere tanquam iniquum: atque ita tueri ſuam cauſam, & quaſi quodam præſidio eam munire: at Orator callidè, ac verſutè hoc aduerſarij conſilium præripit, & deturbat eum de iſtiuſmodi defenſione, quaſi de ſua munitione: ait nihilominus eum nunc rationem reddere oportere, ſi culpa caret: nam cæteri, qui Rempub. ſincerè adminiſtrant ſolent idē facere, &c. Extorquet igitur artificioſè

arma de rei manibus, quibus ſe tueri poterat.

Ὡ'ς δή μοι δοκοῖτ' ἂν concludit procœmium Orator: non dubito quin ego ſim demonſtraturus, &c. illud vereor ne vos ô Iudices vel temporis diuturnitate obliti ſitis horum: vel praua quadam conſuetudine hęc negligatis: veruntamen, quamuis & temporis vetuſtas, & praua conſuetudo ciuitatis mihi obſtent, eam tamen dicendi rationem ſequar, qua vos & cauſam cognoſcere, & de ea rectè iudicare poſſitis.

***

CÆTERA DESIDERANTVR.

FRANCISCI PORTI CRETENSIS,

ORATIO PRIMA.

Hac Oratione F. P. Cr. ampliss. Senatui Mutinensi, & vniuerso Doctorum collegio gratias agit ob Græcæ linguæ docendæ munus vltro sibi nihil huiusmodi speranti, multò minus petenti honorificentissimè delatum. Hic Mutinensis ciuitatis antiquitas, leges, instituta, gymnasium, & Doctores laudantur. Ducis Ferrariensis, eiúsque maiorum, & familiæ laudes, & illustria facinora tam domi, quàm foris edita celebrantur. Huc accessit Ferrariæ vrbis situs, & commendatio, & ad linguæ Græcæ cognitionem adipiscendam adhortatio breuis.

CVM & munus ad quod vocatus venio, lociq; huius dignitatē, & me ipsum cōsidero, facere nō possum, auditores ornatiss. quin vehementer pertimescā. Nā & munus ipsum Doctoris grauissimum est, quod suscipere ac polliceri res ardua videtur. Et vrbis, huiúsque Gymnasij amplitudo, ea est, vt cum mihi sit in eo tantùm onus sustinendū, frangi me metu, atque debilitari sentiam. Illud etiam non mediocrem in modum me mouet ac perturbat quòd ego ad laudem dicendi minus natus, & Latino in sermone parum exercitatus, ad scriptores tamen Græcos interpretandos veniam, viróque doctissimo atq; in vtraque lingua vt qui maximè versato M. Anto. Antimacho succedam. Huc accedit, quòd homo Græcus, & alienigena Latinè dicturus sim, iis audientibus, quibus Latina lingua domestica familiarísque est, & quorum nōnulli summa cum laude publicè eam profitentur. Atque vtinam, vt vis ingenij exercitatióque mihi desit, facultas saltem, spatiúmque temporis concessum esset. Compensassem enim aliqua ex parte, labore & industria vel ea quæ à natura mihi denegata sunt, vel ea quæ à dicendi vsu non delata. Iam ne id quidem à

Deo mihi datum est. Nam simul ac binas accepi literas, vnas ab honestissimo illo ordine, qui iure optimo Sapientum appellatur, eorúmque Præside, Iacobo Trotto viro nobilissimo, atque omni genere laudis cumulatissimo: Alteras ab Antonio Musa Physico præstantissimo & viro optimo, quem honoris causa nomino, quibus significabatur quàm honorificè ad munus hoc delectus, quàm benignè esse ex Ducis Illustrissimi volũtate inuitatus, quàm studiosè accersitus vt primo quoque tempore huc aduolarem, parendum esse censui voluntati tanti Principis, vrbis liberalitati, studiosæ iuuẽtutis desiderio, atque humanitati. Statim itaque operam dedi vt meas explicarem ratiunculas, huc venirem, domum conducerem, & Mutinam familiæ deducendæ causa redirem, omnia denique quæ ad eam rem pertinerent, compararem, quò ad vos quamprimum cum familia, si facultas data esset, accurrerem. In his difficultatibus fretus tum clementia vestra Doctores humanissimi, tum vestra humanite, auditores ornatissimi, spero me à vobis veniam impetraturum. Quare confirmato paulum iam animo conabor, primùm si non ornare, augeréq; singulare huius vrbis in me beneficium, at quoquo modo possum gratias agere, animũmque gratum declarare vobis, deinde eximij Doctores cæterique viri nobilissimi, nunc ex parte satisfaciam, reliquum quod me debere vobis profiteor, pro eo quòd frequentes ad me ornandum conuenistis, spondeo me aliâs magna fortasse cum vsura soluturum. Postremò vos Græcarum literarum studiosi paucis commonefaciam, & ad decus huius linguę quam proponimus nobis interpretãdam adhortabor. Iam verò ciuitatis munificentia me monet vt primùm de ea disseram. Extat enim eius in me beneficium non paruum, non mediocre, non vulgare, sed magnum: sed excellens, sed egregium ac singulare. Nam etsi munus ipsum ad quod sum delectus, per se videtur expetendum, quòd vtilitatem simul, honestatémque coniunctam habeat, tanti tamen Principis iudicium, grauissimi ordinis arbitriũ, Clarissimi Præsidis, sensus atque religio me cogunt, vt tantum huic ciuitati debeam, quantum vix crediderim persolui

vnquam posse. Nam si mediocri, aut etiã humili loco nati hominis bona de nobis opinio ponderis non parum haber, quid de tam honorifico iudicio tãti Principis talis ordinis, ac ciuitatis dicendum erit? Multum Patriæ, multum Parentibus, plurimum tamen me huic ciuitati, vobísque debere fateor. Illi enim genuerunt, educarunt, vos non solùm me, meámque familiolam vestra liberalitate perfrui: sed etiam ornatum, auctúmque hac dignitate voluistis, & illi, quod debuerant Naturæ, præstiterunt, in suum locum me substituerunt, suum Partum aluerunt, vos quem nunquam videratis, nunquam noueratis, ei nihil tale opinanti honorificè iam accersito, & munus hoc docẽdi detulistis, & laborum digna præmia constituistis, ídque fecistis eo tempore potissimùm, quo vestra liberalitas mihi gratissima effulsit. Nam cùm omnes homines natura cupiant suæ industriæ fructus augeri singulos in dies, & cum ipse quoque eodem, quo omnes flagrarem desiderio, quamuis me Mutinenses viri nunquam satis laudati, liberalissimè, honorificentissiméque tractarent, ecce tamen occasio vestro beneficio oblata, cùm vos & locum hũc me obtinere voluistis, & in eam me vrbẽ inuitastis, quæ Gymnasij nobilitate floret, potentia, & opibus inter primarias Italiæ ciuitates nulli cedit, firmitate verò, pulchritudine, ac situ plerasque antecellit. Atque, vt de Gymnasij laude prius verba faciam, Quis non videt ciuitatem hanc ita fauere optimarum artium studiis, vt quamuis domi quamplurimos Doctores in omni genere habeat, alios tamẽ quoque præmiis amplissimis aliunde accersat? Cui enim est ignota excellens in Philosophia, singularis in re Medica prudentia Antonij Musæ, qui & scientia, & scriptorum voluminibus, cum antiquissimis, clarissimísque Doctoribus videtur posse comparari? qui ingenio atque doctrina per orbem terrarum adeò clarus est, vt externis sit exoptatissimus, ea humanitate, ac beneficẽtia, vt suis ciuibus carissimus, iucundissimúsque, ab omnibus verò quasi parens quidam clarissimarum artium, & fautor summa cum pietate perpetuò colatur. Ipse verò Princeps Illustriss. tantũ ei tribuit, ac defert, vt cũ alia summa tum etiã Gymnasij totius curã eius

fidei atque prudentiæ concredat. Quem fugit præterea in iuris vtriusque intelligentia summa & admirabilis Ludouici Cati præstantia, qua cum sibi, suis, Patriæ maximũ decus peperisse constat? Iam in literis politioribus & studiis humanitatis Alexandrum Guarinum quis ignorat? qui magna omnium admiratione Latinæ linguæ scriptores probatissimos publicè interpretatur, quíque ad paternam, auitámque gloriam domestici splendoris tantum attulit, vt non tam aliena quàm sua virtute altissimo pud Ducem Illustrissimum loco conspiciatur. Geraldi verò vtriusque laus eadem in re cuinam est obscura? quanquam alter ætate, ingenio, corporísque valetudine florens, quid naturæ donis, quid doctrina, quid vsu, exercitationéque dicendi possit, hîc ferè quotidie de loco superiore solet demonstrare: alter senio pedúmque doloribus confectus in lecto iacet, ita tamen iacet, vt diuino consilio constitutus ibi videatur, ad quem quasi ad oraculum quoddam literarum studiosi omnes consulendi causa, sciscitandíque aliquid abstrusi, ac reconditi cõcurrunt. Sunt præterea complures alij Doctores variis in artibus, quos pro eo ac meretur eorum dignitas, commemorare ornaréque hodie non licet, non quòd minus ego eorum virtuti præstantiæq; debeam: sed quia eorũ laudes tam multæ, & tam variæ sunt, vt si eas iam complecti Oratione velim, hoc præstare ob temporis angustias vix possim. Dabit itaque veniam Soneinus Bencius vir ex nobilissima familia Senensium olim oriundus, nunc iura ciuitatis obtinens, qui doctrina, morum probitate, liberalitatéque familiæ splendorem repræsentat. Ignoscent etiam Canani, ac cæteri doctores in diuerso doctrinarum genere præstantissimi, si parciùs eorum laudes nunc attingo. Nam facilè deficiat me dies, si cumulatè eorum voluntati, officióque meo velim obsequi.

Quamuis autem hæc ciuitas tot ac tales habeat Doctores, alios tamen quoque quos excellere in suo quemque genere intelligit, nullis parcens sumptibus aliunde accersit. Fruitur itaque diuina Andreæ Alciati prudentia, qui in interpretando iure ciuili, Pontificióque sic excellit, vt per eum tãdem nostra hac aurea ætate integumẽta illa legum

euoluta, nec barbarè (vt pristinis seculis) sed Latinè, incorruptéque explicata auditoribus tradantur. Ornatur præterea Vincentio Maio viro summi florentissimíque ingenij, qui suo acumine intimas Philosophiæ partes, omnémque naturæ obscuritatem scrutatus, fideliter ac diligenter rectam viam literarum studiosis monstrat, qua facilè ad summum sapientiæ decus possint peruenire. Non est prætereundus mihi Gaspar Gabriel ex antiquissima vrbe Patauij, vir eximiæ doctrinæ, vnicæ probitatis & synceritatis, qui in contemnendis Fortunæ iniuriis, nõ vulgarem animi fortitudinem sapientiámque declarauit. Quid dicam in explicandis Græcis Oratoribus atque Poëtis de Marco Antonio Antimacho? qui ob singularem in ea re præstantiam tot annos hunc locum summa tenuit cum dignitate? Quanquam ille iam vel ætati consulens, vel vitæ trãquillitati, priuatís-ve studiis, quò sibi viuat, qui satis diu aliis iam vigilauerit, sudauerítque, se se substraxit, in cuius locum à vobis ego inuitatus iam succedo.

Et miretur quis si tantus nobilissimorum iuuenum concursus vndique in eam ciuitatem fiat, in qua doctrinis, & iis qui eas profitentur amplissimi honores habeantur?

Accedit ad eam laudem admirabilis huius ciuitatis potentia, cui tot ætatum series, antiquitásque summam authoritatem, ac fidem affert. Constat enim omnibus has res multò antè quadringentos annos initium ortúmque habuisse, sapiẽtia deinde, ac fortitudine nobilissimæ Gentis Atestinę auctas, confirmatásque, hostibus formidini, amicis, atque sociis præsidio fuisse, quæ profectò neque à vi cupidissimorum hostium sua tamdiu defendissent, nec fines latè propagassent, nisi vires firmissimas, moderatores, ac Principes sapientissimos fortissimósque habuissent. Et sanè cùm nulla res diutius durare permaneréque possit, quæ radices altius non egerit, tum etiam rerum status infirmis præditus opibus ad tempus diuturnum stare nõ potest: Sed vel hostium impetu, ac vi, vel alio fortunæ casu tandem ruit. Quid si desit Principis, Gubernatorísque prudentia, quæ vigilanter omnia opportunéque moderetur? tum verò cum funditus necesse est euerti, est enim anima

quædam ciuitatis & ratio Princeps ipse, & qui rerum obtinet administrationem, sine cuius moderatione breui omnia vel intereant necesse est, vel grauiter affecta prosternantur. Hæc itaque ciuitas, eos ex Arestina familia habuit Principes qui sua industria, quæcunque acceperunt à maioribus, ornatiora, firmioráque reddiderunt. Atque vt antiquiora tempora, & à nostra hac ætate remotiora missa faciam, ea tantùm, quæ illustriora sunt, & memoriam recentiorem habent, commemorabo. Et quamuis Borsos Herculésque viros, Ducésque Illustrissimos habeam, qui mihi suis virtutibus materiam dicendi latè præbent, in aliud tamen tempus eorum laudes differam, quoniam eò, quò constitui ab initio, propero peruenire.

Habuit igitur hæc ciuitas Alphósum Ducem, Herculis huius Illustrissimi Patrẽ, qui à puero cum ingenij excellentia, virtutéque domestica instructus, tum (vt decet tali ortos genere) Regia illa disciplina regendarum ciuitatum, & laudis Imperatoriæ institutus, victa expectatione omniũ in Iuuenem, inde in Adolescentem, atque adeò in virum summa cum laude euasit: ea verò ætate non tam propter opes, & potentiæ amplitudinem, quàm propter summæ virtutis opinionem, quam de eo terrarum orbis conceperat in vxorem ei datur Lucretia Borgia, fœmina præstantissima, atque honestissima, summæque nobilitatis, ex qua treis incomparabili splendore filios suscepit, Herculem maximum natu, qui rerum administrationi succederet, Hippolytum, summæ dignitatis, grauitatísque virum, qui ob vitæ innocentiam, singularémque prudentiam in honestissimo Cardinalium Collegio elucet, iámque potentissimum Gallorum Regem iuuat consilio, & Franciscum, adolescentem summi præter ætatem consilij, eximię fortitudinis atque virtutis, ab Alexandro deinde VI. summo Pontifice Vexillifer, & Dux Ecclesiæ Romanæ delectus, propter alia præclara insignia, hoc etiam virtutis monimento decoratur.

Sed iniuriæ vlciscendæ cupidus, quam à Venetis Pater Hercules acceperat, eos armis aggressus, partem agri, & oppida, quæ patri per iniuriam illi eripuerant, ipse suis tan-

tùm

tùm copiis recuperauit. Qua in re Iustitiæ, fortitudinis, ac temperantiæ specimen edidit. nam & paternæ pietati satisfecit, cùm eos vltus est, qui iniuriam parenti fecerant, & fortissimus visus est, cui ne occurrere quidem hostium exercitus ausus fuerit, & receptis suis rebus ab alienis sic abstinuit, vt planum faceret virum fortem, Ducémq; moderatũ eò vsque persequi iniurias debere, quoad ipse gloriam virtutis, opinionémque possit obtinere, quam si minus consequi liceat pedem continuò, animúmque simul esse referendum.

Neque verò Venetorum cupiditatem in ea re tantùm vltus est, sed etiam cùm postea iidem maiora quædam affectarent, ipsámque Ferrariam classe, magnísque pedestribus copiis peterent, ipse parua manu maximis occurrens hostium copiis, classe profligata, summersáque, exercitum eorum summa cum turpitudine domum coëgit redire. Quam ad rem non parum profuit prudentia singularis diligentiáque fratris Hippolyti, qui etsi propter vitæ sanctitatem, dignitatémque in honestissimum Collegium Cardinalium fuerat cooptatus, aliis tamẽ præterea virtutibus instructus, & fratrem officiosissimè, opportunissiméq; iuuit, & suum nomen magis illustrauit.

Ac aduersus Venetos Alphonsus talem se præbuit, contra verò Iulium summum Pontificem constantia non inferiore, inuicta celsitudine animi, graue bellum, ac periculosum gessit. Nam cum Pontifex Regi Galliarum bellum intulisset: Dux ipse fidem, amicitiæque ius, quam inierat cum Rege tanti fecit, vt minis Pontificis, inimicitiísque, societatis leges & officium censuerit anteponenda, omnémque fortunæ casum subeundum potius quàm datæ fidei religionem, amicitiámque violandam. Quare Mutina, Rhegio, cæteris Oppidis, Castellis, omníque eorum agro spoliatus, sola Ferraria ab eius belli vi & impetu retenta, quamuis iacturam facere, quàm amicum deserere, & officium, ac rectam agendi rationem, quàm suas vtilitates sequi maluit, adeò spectatæ grauitatis, integritatis, & innocentiæ fuit. At vbi primũ oblata occasio est, haud patitur suam patientiam inertiam, prudẽtiam rerum imperitiam

existimari. Cum Regiis itaque Ducibus confestim iunctis armis primùm Bononiam Pōtifici ademit, Bentiuolos cò reduxit, ad Rauenam deinde commisso prælio, binos vno tempore exercitus, Pontificium, Hispaniensémque profligauit, atque in magno captiuorũ numero Fabricium Colonam Ducem exercitus Clarissimum, & virũ genere, virtute rei militaris, sciẽtia illustrem habuit, demõstrauítque tunc non omnia in potentia, maximísque copiis posita esse: sed pleraque etiam iustitia, constantia, fidéque obtineri: quibus nixus virtutibus, causæque bonitate cõfirmatus, & fortissimè pugnauit, & omnem victoriæ illius gloriam meritò est adeptus.

Non est etiam silentio prætereundum Leonis x. summi Pontificis factum, qui cùm opprimendæ Ferrariæ causa multa millia Heluetiorum præter copias Italicas cõduxisset, deterritus postea tanti viri fama, ac fortitudine, deiectúsq; spe in quã inductus fuerat, damno ac dedecore accepto domum dimisit. Sed quę vis ingenij? quæ oratio cæteras res gestas præclarissimáq; facta Alphonsi Ducis complectatur? vel quod spatium, quod tẽpus satis sit ad ea non ornanda, sed recensenda, non augenda, sed enumeranda? Mitto igitur vt Adriani, vt Clementis summi Pontificis tẽporibus Mutinam, Rhegium, oppida, castella, agros, omnia denique quæ temporũ iniquitate amiserat, recuperauerit, vt hanc vrbem variis rebus ornauerit, vt denique candẽ amicorũ copia, & ciuium beneuolentia, ne dũ mœnibus firmissimè munitã, & instructã pro viribus voluerit. Caput illud est, Alphonsum Ducem & in hac vitæ luce, iustitia, fortitudine, prudentiáque præstitisse, & cùm ex hac vita migrauit, maxima cum gloria, desiderióque omnium ad meliorem rerum statum perbeatè recessisse.

Hoc itaque tanto patre natus Hercules paternæ virtutis ac laudis imago rerum potitur, atque ita potitur, vt non tam ad imperium successor, quàm gloriæ paternæ imitator, amplificatórque venisse videatur. Nam optimis artibus, clarissimísque Doctrinarum studiis ab ineunte ætate institutus, regiéque educatus in adolescentiam maxima cum expectatione omnium est ingressus, cùm pro-

pter

pter famæ celebritatem in matrimoniũ ei Renata datur, Ludouici Regis Gallorum inuictiſſimi filia, fœmina ſpectatiſſimæ probitatis, pudicitiæ, prudentiæ, beneficentiæ, ac morum ſanctitatis, ex qua ei bini filij, tres filiæ naſcuntur, egregiæ indolis, optimæ ſpei, ſummæ expectationis. Gener itaque tanti Regis appellatus, affinitate ſimul Franciſci Regis Max. qui alteram filiam Regis illius duxerat in vxorem, decoratur. Ac in adoleſcentia quidem Hercules matrimonio hoc nobiliſſimo Regibus Gallorum ſe coniunxit. Vir deinde factus, & hæreditate regni adita, ad parentis, & maiorum decus, ſplendorémque, ipſe quaſi nouus iuſtitiæ, fortitudiníſque Sol, illuxit. Illuſtratus itaque terrarũ orbis, ne dum fines, & ditio Ferrarienſis, quicquid in regno iacebat afflicti per eum excitatum, ius omnibus ſanctiſſimè, ac religioſiſſimè redditum, cõuenta, pacta conſtantiſſimè ac fide optima ſeruata, omnes denique cognati, affines, amici, ciues, ac cæteri, qui in eius poteſtate ſunt, ſingularem eius, ac diuinam beneficentiam ſenſerunt.

Fortitudinem verò ſic cæteri Italiæ, externíque Principes verentur, vt inferre arma tanto Duci ne in mentem quidem illis veniat, diligentiſſiméque caueãt ab eo laceſſendo: cui rei fidem non paruam illud facit. Nam cùm horum nonnulli non mediocres cum eo ſimultates bellíque cauſas haberent, nunquam tamen per tot annos auſi ſunt eum armis bellóque prouocare. Per ſummam itaq; quietem ille facultatem nactus, potentiã, quam à Patre, ac maioribus acceperat, ſic auxit, confirmauítque, vt inter potentiſſimas Italiæ ciuitates Ferraria excellat, ídque Ateſtinæ nobiliſſimæ familiæ cura, laboréque ſe aſſecutam glorietur.

Cuius etiam induſtria, ambitus amplitudine, vicorum, ædificiorúmque tam priuata, quàm publica magnificentia, lõgitudine viarum, ac latitudine, templorum religioſa dignitate, locorum amœnitate, cæteríſque id genus rebus ad ornatum pertinentibus ita eſt exornata, vt ſola extare magnitudine, ac pulchritudine cæteras inter vrbes videatur.

másque omnium ornamentorum, commodorúmque accessiones secum affert. Quare vos qui ad opes, & ad decus huius linguæ aspiratis, me ducem sequamini, ac imprimis ad contemplandam vim Demosthenis, & diuitias Homeri mecũ ingrediamini, duo lumina præcipua, clarissimáq; Græcorum Authorum, quorum admirabilẽ vim, diuinum ingenium, summam eloquentiam quæ memoria quæ ætas non est admirata? ad cœlum laudibus non extulit? quamuis autem ad eos laudandos, ornandósque altero Demosthene, vel altero Homero opus esset. Conabimur tamen nos quoque inter legendum, interpretandúmque virtutes eorum pro viribus ingenij nostri exprimere. Hi mihi iam Authores erunt explicandi, vobis audiendi, lectitandi, in manibus tenendi, nunquam deponendi. Meum erit officium, nunquam vobis dies, noctes, publicè, priuatim, singulis, omnibus deesse, vestrũ erit munus adire me, instare, vrgere, quærere, nullo tandem loco, nullo tempore mihi parcere. Ita enim & iudicium huius clarissimæ ciuitatis, à qua in hoc loco sum constitutus, vituperari non poterit, & vos præstantissimæ huius linguæ fructus vberrimos percipietis.

Pauca hæc tua sunt præcipuè, Princeps Illustris. tuæq; incõparabili humanitati destinata. Quòd itaq; huc venire grauatus nõ fueris, quòd ornare me tua præsentia, tuoq; splendore non recusaueris, ago tuæ amplitudini eas gratias, quæ tali puero, tanti Patris, tantæ matris filio, ea denique stirpe, atque his maioribus orto, debentur.

FRAN-

FRANCISCI PORTI CRETENSIS

ORATIO SECVNDA,

Qua Historia, & Historici laudantur.

MVLTI sunt, Auditores ornatissimi: qui de vita hominum tam Græcè, quàm Latinè scribẽdo promeriti videntur: Historici tamen qui populorum omnium, summorúmque Principum & illustrium virorum res gestas immortalitati commendarunt, Principem inter hos locum obtinere debent. Ea enim exempla vitæ, morum, factorum, cõsiliorum, atque euentuum proponunt, in quæ omnis posteritas tanquam in tabulas quasdam inspiciens, & publicis rationibus, & priuatis rebus facilè consulat. Nullum enim genus hominum, nulla ætas au conditio ab historico ad vitam non instructa: nã & iuniores exemplorũ copia multiplici ab historia petita multum proficiunt, & maiores natu multò plus inde prudentiæ hauriunt quàm quantum longissima ætas hominis afferre potest. Itaque de Lucullo scribit Cicero cùm ad bellum Mithridaticum Roma profectus esset rei militaris omnino rudis, tantam inter nauigandum operam posuisse tum in percunctandis peritioribus, tum in legendis rebus gestis, vt cùm in Asiam planè Dux factus peruenisset, tantus in omni genere belli extiterit, vt maximi illius Regis confessione atque iudicio, omnibus quorumcunque seculorum Imperatoribus anteferretur. Iulius verò Cæsar res gestas Alexandri, circunferre secum solitus dicitur, vnde scil. ad Imperatorias virtutes, & ad rei militaris vsum promeret documenta. Quid de Zenobia illa dicendum est? quæ Imperatoria occupare insignia, diúque insultare Romanis Principibus non dubitauit? Hæc enim non solùm Græcè Latinam historiam perdidicerat, sed Alexandrinam etiam atque Orientalem in

breue compendium dicitur redegisse, vt minus mirãdum sit non modo virtutem & consilium, scientiam præterea gerendi imperij, sed authoritatem quoque tantã ei superfuisse, vt illa regnante fœmina & Barbara, non Arabes, non Sarraceni, non Armenij se vnquam commouerent, rectissimè itaque Cicero temporum testem, lucem veritatis, vitam memoriæ, nuntiam vetustatis historiam appellat, ea enim notatur ordo temporum, & rerum gestarum apparet veritas, ea virorum illustrium nomen è tenebris in lucem euocatur, hac omnium ætatum floret memoria, hac.n.quę à nobis sunt maximè remota, rescißcuntur, & ad omneis posteros vetustissima quæque perferuntur, hac denique causæ omnes siue casus, siue sapientiæ, siue temeritatis, naturæ hominum & vitæ explicãtur, vt quæ sequamur, quæve fugiamus haud dubiè sub oculos subiecta habeamus. Nihil sanè generi humano tã necessariũ, quàm res gestas, & memoriam omnem antiquitatis literis ac monumentis habere comprehensam, vnde rerum veritatem & vsum in prõptu habeat. Id quod fide optima præstat historia, quicquid enim actum in omni vetustate dictúm-ve fuit, id in ordinem digestum, & tẽporibus notatum posteritati tradit, ignota atque abdita è mediis ætatum tenebris eruens, eáque ab omni confusione disiuncta posteris in medium proponens. Extant plurima exempla huius rei tam Græcè, quàm Latinè, sed vt cæteros scriptores iam omittam, in T. Liuio, & Thucydide, quem hoc anno nobis proponimus interpretandum, id latè potest perspici, quorum ille filo vberiore res Romanas ab vrbe condita conscripsit. Regna, Consulatus, Dictaturásq; distinxit, clarissima quęque ac memoratu digna fusè narrat, quibus demum artibus imperium Romanum & creuerit, & ad summum illud fastigium peruenerit, ordine explicat. Thucydides Atheniensium Peloponnensiúmque bellum persequtiur. Fidelissimè tempora digerit, accuratissimè loca describit. Excellentium virorũ præclara facta memorat, improborum hominum scelera notat, singula prælia quasi pictor optimus subiicit oculis, omniáq; ad normam veritatis & præscriptum, quæ maxima est historici laus, exponit. Sed de

Thucy-

cydide aliâs pluribus,iam de toto genere historię,summáque vtilitate, quam vitæ affert, agamus. Nam quem fugit rei huius maxima vtilitas, quæ orbi terrarum ab ea ministratur?Et sanè cùm omnis vetustatis exempla quasi magistri quidam ad vitam instituendam adhiberi soleant, eaq; latè pateant in hac scribendi ratione, nemini potest esse dubium quin ad fingendos mores vna historia plurimum valeat,in qua quasi quodã in speculo homines se intuentes,quæ parum apta in se animaduertũt,ea sedulò componunt,dantq; operam ne quid dedeceat,contrà si quid imitatione dignum in aliis inspiciunt,id notatum,& ad se studiosissimè translatum exprimere conãtur, atque ita ornati & instructi,tum demũ fiunt homines,digniq; hoc nomine existimantur. Iam quas publicè vtilitates hæc eadem res afferat quis non videt? quot enim bella, quot causas & illas grauissimas ad imaginem antiquitatis gestas, administratásq; legimus?quæ quidem antiquitas,nisi in clarissimis historicorum monumentis expressa esset,quænam exempla posteritas ad imitandum haberet? Sequeretur inde vt vita hominum, quæ vetustati aliquid addẽdo, vel demendo melior fit,nullum ducem,nullam nacta viam, maximo fructu priuaretur.Iam verò fideliter,certo itinere ab historia ipsa quasi manu ducta,ad summa quædã peruenit, maximéque admirãda. Ea enim pacatis rebus in Senatu quasi consiliaria quadam vtuntur homines, eius authoritatẽ Iudices in foro & iudiciis sequuntur, eam Duces Imperatorésque belli cõsulunt, eiúsque auspiciis rem terra maríque gerunt, vt facilè appareat maximas hinc vtilitates publicè priuatímque proficisci. Adiungitur ad hanc historiæ laudem admirabilis quædam vis ad menteis hominum alliciendas retinendásque, neque iniuria, nam si pictura quæ sensus & motus animorum vix coloribus ac penicillo imitari potest, delectat tamen mirum in modum, hærentesq; tenet spectatorum oculos,quid tãdem de historia, orationísque diuina facultate dicẽdum erit? quæ quidem oratio ad hoc ipsum homini à Deo Opt. Max. data concessáque est, vt sensa animorum exprimi, & ad alterius intelligentiam accõmodari queant? quo quid potest esse iucundius?

Iam si Poësis quæ fictis fabulis, & commētitiis carminibus aurium quærit voluptatem, ea tamen nos iucunditate afficit, vt plus quàm voluerit cōsequi videatur: quam demum esse delectationem historiæ dixerimus, quæ non fabulas ac res assensione nulla ferè dignas, sed laudem ac pondus veritatis constanter sequitur, nec lectores inani oblectatione, sed solida perpetuáque voluptate tenet? Quem enim non delectent locorum ac regionū scitæ descriptiones? quem in legendo non retineāt temporum varietates, fortunæ vicissitudines, res maximæ grauissimæq; à clarissimis quibúsque viris gestæ, ac sub oculos, aspectúmque omnium penè ab historico subiectæ? Atque omittam locorum descriptiones, quæ passim sunt, quis in legēdis authorum scriptis nō admiretur Themistoclis fortunam omnibus rebus florentissimam? quis in eo non suspiciat animi magnitudinem, consilij præstātiam, singularem fortitudinem aduersus innumerabilem Regis Persarum classem? Quis eundem non multò pòst in fuga libenter & quadam cum miseratione non prosequatur? Eadem fortuna inter Romanos Furij Camilli fuit, qui post plurima in suos ciueis clarissimáque merita in exilium pulsus, in summa tamen omnium rerum desperatione Rempub. prostratam & iacentem restituit, tantóque maiorem in eam pietatem demonstrauit, quanto maiore in discrimine ab omnibus deserta destitutáque illa versabatur. Nam cùm in eum locum res deducta esset, vt nisi quid inopinati subsidij diuinitus venisset, saluæ esse Reipub. reliquiæ nequirent, ecce quasi cœlitus demissum Camilli numen præsens, quod & illam discussit tempestatem, & pristinam tranquillitatem reddidit, & ciuium, qui in Capitolio obsidebātur, animos recreauit, qui repentino aduentu non solùm conditiones, quas acceperāt, irritas fecit, & Brenni Ducis, cæterorumq; barbarorum insolentiam compressit, sed etiam postridie eius diei innumeras ferè eorū copias summa virtute profligauit: possem sexcentos alios tam Gręcos quàm Latinos viros cōmemorare, qui fortunæ vim in vtramque partem sunt experti, & quorū aduersæ, secundæq; res apud historiæ scriptores passim narrantur, quas sine admiratione, de-

lectatione,

lectatione, miseratione, quis est qui legat? Iuuat enim varieq; afficit extra discrimen alienos casus intueri, & tranquillis nostris rebus turbulentas aliorũ tempestates è portu procul ferè inspectare, eumq; fructum capere, vt periculis alterius qui scopuli cauendi sint nobis prospiciamus. Illud etiam historiæ ingens est meritum, quòd bonos viros laudando ad virtutis studium posteritatem spe gloriæ accendit, improbos vituperando à labe vitiorum, infamiæ dedecorisq; metu vehementer terret. Laudauit Codrum Regem Atheniensiũ, qui saluti nõ pepercit, vt suos ciueis liberaret grauissimo periculo. Itaq; Curtius, ac Decij Romani rapti pulcherrima honesti specie, secutiq; hoc exemplum, salutẽ attulerũt patrię, sibi nomen Sempiternũ compararunt. vituperauit contrà, notauitque plurimos. Itaque posteritas turpissimam flagitiorum fœditatem detestata, vel prorsus ab illa abstinuit, vel certè ab auaritia, crudelitate, cæterisq; id genus sceleribus est retardata, vt minimè dubium sit maiores, vberioresque fructus ex hoc vno proficisci genere, quàm ex omni Poëtarũ numero & Oratorum. Nam Poëtæ petẽdæ voluptatis animorúmque oblectationis causa non modò falsa fingunt, sed etiam incredibilia quædam consectantur: quare illis vel omnino fides abrogatur, vel tum denique habetur, cùm ad historię normam & præscriptum quamproximè accedunt. Oratores vel vt omnia in maius extollenteis facilè auerseris, vel vt eos, qui plus æquo fauent, oderunt, irascuntur, inuident, sperant, metuunt, quocunq; demum alio animi motu impelluntur. Historia si quid in ea vel offensæ, vel gratiæ appareat, suum nomen iam non retinebit. Quamobrem vt in ore muliebri certior ac verior natiuus & ingenuus color est quàm illiti fuci & pigmenta, ita syncerum historiæ testimoniũ diuturnius præconio fucoso oratorum. Quod nimirum Cicero ipse intelligẽs, perbellè agit cum Luceio facta sua vt illius monimentis cõmendentur. Ipsam etiam Philosophiam, si cum historia conferas, facilè inuenias & eam partem quæ de moribus, & eã quæ de domesticarum publicarúmq; rerum administratione agit, sine copia multiplici, varietatéque exemplorum nihil posse, id maximo-

rum clarissimorúmque de ea re Philosophorum libri, & imprimis Aristotelis indicant, in quibus nullum ferè præceptum inuenitur, quod ex ipsa historia tãquam è capite, venáque perenni, & fonte aliquo vberrimo non emanauerit. Rerum verò naturã quo pacto tractabit is, qui ipsam naturæ historiam non calleat? Quare cum tot vtilitates, tantásq; hoc scribendi genus habeat, à nullo vestrum spero reprehensum iri meum consilium, quòd publicè interpretari susceperim historiã, quid enim vel vtilius vitæ hominum, vel iucundius, vel ad dignitatem aptius hac vna facultate? hæc viros forteis immortaleis reddit, hæc amplissima eorum virtuti refert præmia, huius beneficio viuunt adhuc Aristides, Phocion, Themistocles, Pericles, Agesilaus, Philippus, Alexander Macedo, plurimíque alij quibus cum Græcia ipsa propter famæ immortalitatem vnà viuit. Quid Camilli? quid Fabricij? quid Decij, Scipiones, Lælij, Cæsares, quid cæteri bello, paceque summi viri, quos infinitũ esset enumerare, nónne huius munere perpetuo splendore ac gloria fruuntur? Per hanc ipsam nos, quod attinet ad rerum cognitionem, superioribus etiã vixisse ætatibus videmur, & sapiẽtissimos fortissimósque viros vel audire, vel spectare, ex hac vna Reges & Respub. miras vtilitates percipiunt, hanc Senatus, hãc iudicia, hãc summi Imperatores domi bellíque cõsulunt, hac vetustatis ruditas tollitur, mores informantur, vita omnis perpolitur, hæc denique publicè priuatimq; maximas hominibus affert cõmoditates, adde, quòd nullum cibi genus palato gratius, quàm animis historia, nullum oci iucundius, quàm hominibus rerum gestarum, totiúsque vetustatis cognitio, nullum suauius quàm temporum varietatésque, & fortunę vicissitudines, quarum iucundissima lectione, plurimis maximísq; voluptatibus expletur animus. Nã quod pertinet ad dignitatem, quid decẽtius, quid honorificentius, quàm vim & copiam tenere exemplorũ quibus & publicè in sententia dicenda, & priuatim in consilio dando vir sapientissimus grauissimúsq; videare? quid demum augustius? quid venerabilius quàm in infinita multitudinę extare aliquem, qui quod cæteri non possunt, id ipse præ-

ſtare valeat? & prudentiæ ſplendore quæſitæ ex hiſtoria, in aliorum tenebris quaſi Sol quidam videatur elucere? Illud etiam nos impulit vt Thucydidem potiſſimũ interpretandum iam ſuſciperemus, quòd præter alias virtutes quas multas magnáſque hic habet author, eam etiam habet rerum & Enthymematum copiam, ita excellit artificio, vt eo nomine facilè non ſolùm inter Hiſtoricos, ſed etiã inter Oratores Princeps habeatur, vt iure optimo Demoſthenes Orator ſummus octies cum ſua manu dicatur deſcripſiſſe. Verùm de his laudibus, déque aliis eius virtutibus, cras fauente Deo latius, iam ſatis ſit generatim de hiſtoria egiſſe, eiúſque laudes pro viribus ingenij noſtri attigiſſe, tantùm monebo vos, Græcarũ literarum ſtudioſi, leges hiſtoriæ ſcribendæ melius ex hoc vno authore quàm ex omnibus artificum præceptis percipi poſſe, vt qui cupit eas aſſequi, huic ſemper ſit Thucydides in manibus habendus, lectitandus, nunquam deponendus, atq; adeò ſi licet, ediſcẽdus. Incumbite modò Adoleſcẽtes ornatiſs. in hæc præclara ſtudia, meóſque labores veſtris iuuate ſtudiis, ita enim & ipſe onus impoſitum legẽdi leuius, tolerabiliuſq; exiſtimabo, & vos tẽpus poſuiſſe in authore hoc audiendo non pœnitebit.

Reliquum eſſet vt vobis omnibus qui huc honoris mei cauſa conueniſtis, tantas agerem gratias, quantas veſtræ in me humanitatis magnitudo poſtulat. Sed quoniam eas agere non poſſum, quas poſſum ago, illúdque ſpondeo ac polliceor, me immortaleis dum viuam, habiturum.

***

FRANCISCI PORTI CRETENSIS
ORATIO TERTIA.

IN hac quoque Oratione Fr.P.Cr. Mutinensem ciuitatem laudat, eíque pro publica Græcæ linguæ prouincia honorificè, ídque vltrò sibi commissa gratias agit. Hìc etiam Thucydides, & Pindarus laudantur.

ANIMADVERTI sæpiùs, Auditores ornatissimi, illam vel præcipuã laudem huius ciuitatis esse, quòd iis rebus floreat, quibus nõ ita facilè excellere posse videatur, & bonarũ literarũ fruatur gloria, cùm tamẽ sit opinio nullũ hîc esse Gymnasium, nullos qui publicè scientiarum aliquid profiteantur, Iuuentutémque ad ingenuas arteis instituant. At ego hãc beatam esse existimaui, quæ cùm plurimis aliis virtutibus eluceat, hac etiam inter finitimas emineat nationes. Me verò fortunatissimum duco, cui ex tot Italiæ ciuitatibus hæc vna sedes ac domus data cõcessáque à Deo Opt. Max. fuerit. Neminem vestrũ fugit Auditores ornatissimi: ita vos esse sitos, vt hinc Bononiam, inde Ferrariam, Patauiúmq;, hac Pisas, illac Ticinum habeatis, vos honoris gratia propè in medio collocati sitis. Atque iis in ciuitatibus, quas paulò antè nominaui, Gymnasia celeberrima annos iam extant plurimos, in quæ ex omni parte orbis terrarum singulis annis fit cõcursus, & tamen si doctos homines & claros quæras, paucissimos in harum vnaquaque, pace illarum dixerim, vix inuenias, in hac quamuis nullum ferè sit nomen Gymnasij, at quæ copia, quæ laus ingeniorum, quàm cum antiquitate conferenda, nonnullis etiam rebus superior iudicanda? Et in illis multæ opes, amplæ fortunę, magna nimirum adiumenta ad literarum artiúmque studia. Huic verò omnia hæc mediocria, spiritus tamẽ animorúmque tum acumen,

tum propenſum ſtudium ad omneis difficultates ſuperandas abundè adſunt, vt omnis hæc gloria non copiis, nõ externis bonis, ſed vobis, veſtræq; virtuti debeatur. Illud etiã addendum, quòd in magna rerũ cõfuſione, cùm terrarum orbis bello flagret, nullam vos ceſſationẽ facitis, nũquam inſtitutam ſtudiorum intermittitis rationẽ, vnde non iniuria quamcunque vos in partem dederitis, profectus magnos facitis, in quo etiam vos magni, admirandíque eſtis, quòd ſine arrogantia ſumma modeſtia partis vtimini theſauris Scientiæ, non ad pompam atque oſtentationem: ſed ad communem vtilitatem tam veſtrorum ciuium, quàm externorum, atque ob hanc beneficentiã proximę ac longinquæ nationes mira vos beneuolentia charitateq; proſequuntur. Sed ſentio vos pro veſtra ingenuitate, veſtroq; pudore nonnihil hac prædicatione commoueri, patiamini tamen rogo, patiamini verba rebus, & orationem factis reſpondere, concedat veſtra verecundia vt, quoniam me in hoc loco collocaſtis, ornaſtis dignitate, beneficiis adiuuiſtis, in aliqua officij parte ego quoque maneam. Et quod ſemper debeo, id ſemel hodierno die reddam. Equidem non puto me vel vanitatis & mendacij, vel aſſentationis argui poſſe dum certiſſimas veſtras laudes attingo. Quis enim per Deum immortalem tam improbus, tam inuidus, vt eas laudes quæ optimo iure ſunt omnium in ore ipſe reticeat? vel quis etiam tam Barbarus, tam ingratus, qui meritorum immortalium aliquando memorem ſe eſſe non oſtendat? Doleo certè me non eſſe eum, qui virtutis veſtrę dignitatem ac ſplendorem pro eo ac meretur, ornatiſſima dicendi copia valeam aſſequi. Sed quid? taceam interea, & quia non poſſum vt vellem, ideo nolim vt poſſum vobis ſatisfacere? & hominis improbiſſimi ac ingratiſſimi crimẽ habeam? Imò verò & iam quoquo modo licet laudãdi mihi eſtis, & aliâs melius, ſi melior facultas detur. Sed imprimis hodie prædicandi, quòd in aliena lingua tantùm profeceritis, vt altera huc Græcia tranſlata, & paruæ hîc Athenæ natæ eſſe videantur, ea eſt vobis peritia, ea Græcorũ Oratorum Poëtarumq; pertractatio. Neque verò eſt mirandum quòd Thuſca ac vernacula, Latina etiam lingua

excellatis, cùm hac iure hæreditario quodam fruamini, illam verò ex hac natam à nobis educatam excultámq; habeatis, & vtranque propter dignitatem quæratis, vernaculam etiam propter vsum & vtilitatem expetatis. Nam ego non moueor leuissima nonnullorum opinione, qui vernaculum sermonem negligendum, abiiciendúmque putãt, cùm in eo magna grauitas, dignitas, ornatus nõ mediocris & copia inueniatur. Quid enim sub sensum aut cogitationem nostram cadit quod in hac lingua nõ æquè grauiter, ornatè, copioseq;, ac in Græca, & in Latina dici possit? Sed ad rem redeo, non est, inquam, mirandum, quòd iis rebus excellatis, profecisse verò tantum vos in trãsmarinis alienísq; literis, vt obscurissimos linguę Gręcę authores, Thucydicem ac Pindarum audiendos vobis elegeritis, hoc verò mouet, hoc admiratione menteis hominum afficit. Et sanè quis non miretur eorum ingenia qui paruo tempore in re ignota atque noua tantum sint assecuti, quantum vos in alienis scriptoribus fecistis tam breui tẽporis interuallo? quis etiam non suspiciat eorum animi magnitudinem, qui maiora semper spectent, altiora petant, humiliora neglig ãt despiciántque. sicut vos faciliores omisistis scriptores, eos vobis cognoscendos proposuistis, quos qui teneat, omneis opinor, Græciæ tam Oratores, quàm Poëtas facilè teneat, qui enim in obscuriora penetrauerit, huic clausa faciliora esse non possunt. Atq; de alterius obscuritate Thucydidis, inquã, extat grauissimũ Ciceronis testimonium, qui in Oratore his ipsis verbis ea de re loquitur, ipsæ illæ Conciones, inquit, Thucydidis nimirũ ita multas habent obscuras abditásque sententias, vix vt intelligantur: & in Bruto de hoc eodem Scriptore mentionem faciens, Orationes, inquit, quas interposuit, eas ego laudare soleo, imitari, neque possim si velim, neque velim fortasse si possim, hoc ille, quoniam genus dicẽdi, quo vsus est Thucydides ad aureis populareis non est aptum: nam non modò ipsæ Conciones, sed cætera etiam Historiæ narratio obscura ac difficilis habetur. Ac de Thucydidis quidem obscuritate hæc ille. de Pindari duritate habemus Hermogenem, qui in ea dicendi formula, quæ inscribitur σεμνότης reprehendẽs

eos, qui soluta in Oratione non verecundi in transferũdo: sed audaciores durioresque sunt, causam eius rei esse dicit, quòd eiusmodi Scriptores sequantur Tragicos ac Pindarum, cæterósque qui durius carminibus operam dederũt.

Quamuis verò horum alter obscurus, alter etiam sit durus, vobis tamẽ qui ad maiora amplioráque nati estis, nihil obscuri, nihil potest esse abditi, quis itaq; non miretur vos? quis non æmuletur hãc ciuitatem, quæ cùm plurimis aliis rebus emineat, tum etiam linguarum cognitione floreat, longinquam alienamq; loquendi rationem ita in magna temporum difficultate teneat, eáque sit cõsecuta, quæ vix impetrari posse videantur? Nam vt de me etiam nonnihil dicam, fortunatum illum diem cùm vos, vestrámque hanc vrbem videre mihi licuit, cùm tantam humanitatem, tantam beneficentiam experiri datum est, à vobis ego exceptus, à vobis sum adiutus, ornatus, ad hunc locum deniq; & ad hoc interpretandi munus delectus, quod sit munus, quàm graue, vireis meas quæ sint video: gerendus tamen vobis mos est, qui ita voluistis, & sustinendum onus quoad potero, neque enim mihi defuturam eandem vestram bonitatẽ spero si oneris me magnitudine opprimi videat, sed subituram, & hac mole suum opus leuaturam, tantum ego spõdeo atque polliceor, si quid in me est, si quid in vos ex me proficisci potest, quicquid est, id omne semper dieis, nocteis, publicè, priuatim, omnibus, singulis paratum fore, nullo deniq; futurum tempore vt vestra humanitas laborem, & industriam meam requirat.

***

FRANCISCI PORTI CRETENSIS
ORATIO QVARTA.

Hanc Orationem F.P. Cr. Mutinæ in ipso Senatu post suum reditum in vrbem videtur habuisse. Cùm enim ob veram veri Dei Religionem ex vrbe discedere, & temporis iniquitati per aliquot menses cedere coactus fuisset, & postea cum maxima totius ciuitatis lætitia præter impiorum quorundam volũtatem, & expectationem in suas sedes honorificè fuisset reductus, eiq; pristinum munus ex S. C. restitutum, tanti beneficij memor Patribus Ampliss. hac Oratione gratias egit, eorúmque pietatem fortitudinem, constantiã, munificẽtiam, cæterasq; virtutes, quibus erant insignes, piè commendauit.

SATIS opportunè Patres ampliss. vt ad hoc meũ munus vestro beneficio redirẽ effecistis. Quare huic tanto beneficio vitam, salutémq; semper acceptam referam, agam tamen gratias interea ob recentem eius magnitudinem. Si minus pro dignitate, at pro viribus mei ingenij, meæq; facultatis, ne verba factis, & Orationem clarissimis officiis negasse videar, quod sine summo scelere admittere non possem, cùm per vos maxima quædam assecutum me videam, & hanc commoditatem, qua mihi præter spem datur, vt vestra ciuitate iterum frui honestissimè liceat. Nam cùm ab honestissimo vestro hoc ordine treis menseis vt abessem iusta piáque de causa impetrassem: vix attigi Venetias, cùm mihi cogitationum ratio mutanda fuit, inueni enim ibi qui molestia tam longæ ac periculosæ nauigationis me liberauit, literásq; attulit quibus intellexi ereptam mihi esse facultatem pietatis in sororem, quæ iam nubilis erat, declarãdæ. Quare lenito desiderio patris visendi partim literis illius, partim aliquorum necessariorum præsentia, non iam Cretam mihi nauigãdum, sed ad vos redeundum,

dum, & ad eam ciuitatem, quam duco alteram patriam, quamprimum esse iudicaui. optabam, ita me Deus amet, vt bonus ille Vlysses, vel fumum è ciuitatis tecto aliquo exilientem prospicere, mox animam efflare, ardebam desiderio eos reuisendi quibuscum consuetudo summa, suauissimaq; mihi erat, idque vnius mensis interuallo, quid mihi casurum fuisse existimãdum est, si diutius à vobis abfuissem? profectò oblanguissem, neque iniuria, quis enim amore nõ prosequatur eos, à quibus se amari vnicè videat? quis non habeat charissimos eos, quibus ipse omnium iudicio sit charissimus? quis tam ingrati animi se argui posse patiatur, vt cùm se magnis honoribus vtilitatibúsque affici videat, eos non colat, maximè nõ obseruet à quibus hæc in se cõmoda animaduertat proficisci? addatur vestra virtus, summa fides atque constãtia, quæ perpetuò mihi perspecta, in hoc tamen meo discessu ac reditu dulcis admodum atque optata fuit. Nam videre mihi adhuc videor mœrorem nonnullorum, qui discedentem me lachrymis vsque prosequentes, vitam acerbam sibi fore, quandiu abfuissem, demonstrabant, vt facilè cognosci posset eorum in me animus, optimáque voluntas. Audio post meã profectionem Adolescenteis ferè omneis, qui ad me audiendum huc conueniunt, supplices manus ad cœlum tetendisse, precibus ac votis à Deo contendisse, vt saluum tandem & incolumem me sibi restitueret, atque vt ex ipso exitu videri potest, tanti ponderis illorum pietatem supremum apud numen fuisse, vt celerius id quàm expectabatur concessum fuerit. Quare & mea sponte impulsus, & optimorum amicissimorumq; hominum literis reuocatus huc redij, cùm vos, bone Deus, qua lætitia, qua alacritate me excepistis, quam deinde curam de me tuendo suscepistis, quam in retinendo animi contentionem adhibuistis? incidi enim, incidi in magnam tẽporum acerbitatem atque iniuriam, quæ vt ex vestro complexu me euelleret maximè est enixa, & fecisset prorsus nisi vestra virtus, constantiáque mihi adfuisset. Quamobrem etsi amari plusquam satis senserim: vestro tamen id aspectu, vestris officiis quotidie lenitur ac dulce redditur. Etenim cùm virtutis stu-

dium, ac pietatis cultum animaduerto, qua in hac vna ciuitate maximè elucet, nullam doloris, nullam acerbitatis magnitudinem inuenio, quæ leniri mitigaríque his rebus nequeat. Nam nemo est permittatis quæso, quæso permittatis, vt quoniã re toties me adiuuistis ac ornastis, quæ verè de vobis dici possunt, verbis saltem prosequar, nemo, inquam, est, modò aliquem hîc vsum habuerit, qui summam in vobis religionem non cognouerit. Nã & de Deo omnium rerum authore ac gubernatore ita vobis persuasum est, vt illius numen castissimè sanctissiméque veneremini, & voluntatem quantum est in vobis, omni studio sequamini, vt si quis purissimum Dei cultum discere cupiat, is à vobis cum commodè percipere valeat, quæ res quantis sit ponderis obscurum esse nemini potest. Nam si Dei cognitio vita æterna est, vt in Oraculis sacris habemus, qui eam, vt vos, tenet, is non modò maxima fruitur voluptate: sed propè dixerim vt Deus sit assequitur. Pietatem verò vestram erga homines qui non vidit, is vidisse nihil pulchri se existimet, & propterea non solùm audire, sed etiam cernere oculis eam exoptet. Qua virtute, quænam opportunior in vita esse potest? Nam Beneficentiam, & Naturæ vestræ clementiam omne genus, omnis ciuitatis ordo sic experitur, vt magnos ipsi fructus ex vobis capiant, vos nullam inde gloriam inanem expectetis, voluptate tantùm, quæ ex rectè factorum conscientia percipitur, contenti. Testis tantæ bonitatis superiorum temporum grauitas, & caritas annonæ, testis ego, ne longius abeam, quem sæpius tam publicè, quàm priuatim, vestra liberalitate cohonestastis: & potest quicquam esse in homine laudabilius, quàm si homo Deus alteri sit homini, necessitatibúsque vitæ libenter consulat? Sequitur hanc laudem alia quædam virtus, vobis propria, non cum aliis communis, excelsa atque illustris, qua simul & crimen inconstantiæ effugitis, & admirandam animi fortitudinem omnibus demonstratis. Etenim quæ semel vobis optimè sunt persuasa, ea nullo modo siue temporum iniquitas, siue hominum peruersitas mouere mutaréque potest. quod plerisque aliis vel naturæ leuitate, vel terroris magnitudine

sæpius

sæpius accidit. Iam quo magnæ in omnibus admirationes excitantur illud est: Nam & humana omnia despicitis, & quæ aliis formidolosa sunt, vos minimè extimescitis, adsunt planè in hoc nobilissimo conuentu, adsunt, qui paruo contenti, magnarum opum, & turgētis ac tumidæ Potentiæ sunt negligentes, quos ego facilè non solùm nominare, sed etiam præsentes monstrare possem, nisi & eorum modestiam id recusare cognoscerem, & ego illorum voluntati facere satis cuperem. Ab iisdem etiam exemplum animi & magnitudinis peti potest non solùm ad laborum perpessionem, sed etiam ad omnem vim doloris, atque ad ipsam mortem cōtemnendam. Persuasum enim habetis labore non inertia vitam esse traducendam, & virtutem in operibus ingenuis præsertim, non in desidia, ignauiáque esse ponendam. Quare non tam pro nobis, quod & ipsum minimè vulgare videtur, quàm pro aliis laborū omne genus libentissimè subitis, & sudori minimè parcitis, modò prodesse humano generi possitis. Nemo enim est qui vestro studio, vestráque opera opus habuerit, qui hæc in nobis vllo loco, vllo tempore desiderauerit, in quo nisi vestra ipsa facta orbi terrarum perspecta essent testimonia, vterer verbis, vterer meo vel grauissimo in hac re saltē testimonio, qui & aliâs multoties, & proximè in vobis id sum expertus. Cognoui enim quàm acriter pro me retinendo, quàm incredibili cōtentione animi elaboraritis, quæ res, vt ingenuè fatear, in magno meo mœrore maximam consolationem mihi afferebat. videbam enim vestro illo patrocinio, omnibus exploratum fieri me neque impietatis, neque improbitatis reum esse, qui & ab hominibus maxima pietate præditis, & à viris optimis defenderer, & cuius vitam omnem ciuitas vniuersa approbaret. Itaque non deesset etiam hæc fides vestræ fortitudini, animíque celsitati in laboribus perpetiendis. Nam in negligenda ea re quæ maximum plerisque terrorem affert, mirabile fortasse videbitur. verumtamen hoc & probatum, mihi etiam ipsi perspectum. Mortem enim vsq; adeò contemnitis, vt quotidie precibus atque optatis vestris eam expetatis, nam quem vestrū fugit Patres amplissimi, cùm

vt Christi regnum adueniat precamini, simul etiam optare vos, vt laboribus istius vitæ miseriisq; liberemini, & ad meliorem commigretis, turbulentissimásque istius maris tempestates effugere, & ad tranquillissimum æternæ vitæ portum deduci valeatis? Exploratum vobis est cœlestem Patrem suis stare promissis. Et quibus beatam semel vitam spopõderit, eos nunquam esse frustraturum, quæ sanè virtus, vt in paucis inuenitur, ita omneis inter homineis vt vos emineatis ea laude perficit. Est præterea in vobis alia laus, nec obscura, neque mediocris, & qua mirum in modum nomẽ istius ciuitatis illustratur, quam & à natura accepisse, & vestra industria peperisse existimamini. Nam & publicis in rebus admirabilem prudentiam, & in priuatis singularem solertiam, considerationémque declaratis, neque solùm in repellendis malis, sed etiam in comparãdis bonis maximam curam ponitis, & in conseruanda ciuitate vnde nomen sumpsisse videmini, mirum studium adhibetis, non ea ratione tantummodo adducti, quòd salutem vestram in salute totius ciuitatis positam esse existimetis, sed humanitate maximè, naturæq; incredibili clementia impulsi. Quamuis autem hanc rationem semper teneatis, ea tamen proximis superioribus annis vsi, cùm terrarum orbis fame, & penuria frumenti laborabat, maximum vestræ ciuitati dedistis beneficium, & teterrima conditione eam liberastis. Curastis enim summo studio, vt quammaxima frumenti copia in vrbem comportaretur, atq; ad hoc ipsum varios homines in plureis oras misistis, maximos sumptus fecistis, nulla deniq; in re charitate ac beneficentia vestris ciuibus defuistis. Qua vestra virtute perfecistis, vt quamplurimi vitam, spiritum, omneisq; suas fortunas vobis debeant. Nam cùm annonæ caritates plerunq; pestilentia sequi soleat, vestra est factum prouidentia, vt non modò nihil eiusmodi sit consecutum, verumetiam in ciuitate per quàm pauci, & aliã ob causam ex hac vita migrauerint. Qui itaque tam diuinum beneficium à vobis acceperint, hi summa se omnia debere vobis cur nõ fateantur? Et potest quicquam ciuitati aut salutarius, aut gratius contingere, quàm si ex miserrima conditione se videat eripi,

& fame,

& fame, qua nihil peius, pestilentiáque liberari? poterit quæquam prudentia maiorem promereri laudem, quàm ea quæ suas vires conferat ad ciuium suorum salutem tutandam?

At fortasse hæc virtus vestræ tantùm ciuitati commoditatem affert, illa verò quam optimarum artium cognitione comparastis, non iam propria, non iam priuata, sed ad communem orbis terrarum vtilitatem parta esse existimatur, ea Iuris, & Ciuilis, & Pontificij cognitio, ea regendarum ciuitatum scientia, ea Doctorum eius artis excellentia in hac vna elucet ciuitate, ad quam quasi ad oraculum aliquod ex vniuersa Italia fit concursus. In quo etiam singularis vestra bonitas apparet, nemini enim ea, quæ sunt honesta negatis, preceis omnium mira facilitate auditis, vt denique omnibus cumulatissimè satisfiat operam datis. Integerrimè itaque administratis, optiméque cõstitutis eorum, ad quos ventũ fuerit, ciuitatibus, summa omnium approbatione desiderióque inde disceditis, Æquitatis, Integritatis, Prudentiæ, summæ denique virtutis laudem reportantes. Testis est Florentia, testis Rauenna, Bononia, Parma, Genua, plurésque aliæ ciuitates, quæ Sadoletos, Bellincinos, Thassonos, Valentinos, Grillinzonos, plurimósque alios, quorum nomina vix persequi possem, quasi aurum ad ignem sunt expertæ. ô Fortunatam ciuitatem, quæ tãtorum virorum copia floreat, virtutisq; domicilium habeatur. Iam diuinarũ humanarumq; rerũ scientia, summáque eloquẽtia amplissimos honores, maximas dignitates hæc ciuitas est adepta. deficeret me dies, si singulos commemorare vellem, qui clarissimis his artibus in altissimum dignitatis gradum peruenerũt. Quare Iacobus Sadoletus, Gregorius Cortesius, Thomásque Badius, quos honoris amplitudinisq; causa nomino, omniũ instar mihi erunt, hi enim ob summam doctrinam, singularémque eloquentiæ laudem à summo Pontifice in Põtificium Collegium asciti, amplissima virtutis præmia tandem acceperunt, ostenderúntque cæteris qui ad summos honores videntur aspirare, quæ ratio, quis modus sit tenendus, vt ad summum dignitatis fastigium demum perueniant, ô bea-

tam nostram ætatem, veréque auream, qua nobis vt tantorum Heroum virtute frui liceat à Dei bonitate datur beatos vos, qui splẽdore tam vestro quàm illorum verè potestis gloriari. Talem igitur ciuitatem ego non expeterem? talium virorum cœtum non exoptarem? talem vestram in me beneficẽtiam humanitatémque non desiderarem? tot tantásque virtutes omni studio ego non sequerer? Vtinam Patres amplisſ. aut debitam referre gratiã, aut vestras laudes pro eo ac merentur Oratione mea persequi possem, sed quoniam neutrum datur, meóque animo referendi aliquid cupidissimo satisfaciendum erat, accipite si minus quod vestra virtus postulat, saltem illud quod meæ vires, meúmque ingeniolum reddere valent. quid enim vestra beneficia augeam? quid ea quæ assequi dicendo nequeo, tractare temerè audeam? Nam si quid superius attigi, feci id quidem, vt meæ volũtati morem gererem, quæ vel breui hac vestrarum laudum cõmemoratione, vestræ humanitati satisfactum iri existimabat, quod si assecuta non est, vestræ virtutis altitudini culpa danda est. Reliquum iam videtur vt si quid etiam à me in vos vestrámque iuuentutem proficisci potest, id omne pollicear ac deferam. Quare ita vobis persuasum sit me neque vobis, neque iuuentuti vestræ vnquam defuturum, méque daturum omnem operam vt vestræ erga me liberalitati, ac pietati pro virium tenuitate satisfiat.

FRAN-

FRANCISCI PORTI CRETENSIS
ORATIO QVINTA.

Francisci Porti Cretensis Oratiuncula in qua de interpretandi facultate, de linguæ Græcæ præstantia, & de publico munere fideliter exercendo agitur.

COGITABAM ipse mecum, Doctores præstantissimi, Auditorésque ornatissimi, quid potissimum hoc die vobis afferẽdum esset, quo & vestræ expectationi, & mori, solennique studiorum initio satis vtcumque facerem, qua in cogitatione opportunè loci huius, & muneris memoria occurrẽs, me monuit vt aliquid de interpretãdi facultate, eiúsque laudibus susciperem dicendum. Non esse alienum si suum quisque munus, quasi quoddam opus charum, iucundúmque habeat, & ad quantam potest maximam dignitatẽ adducere conetur, præsertim si decoris ac domestici splendoris nõ parum à re ipsa afferatur. Hominis præterea ingrati esse inornatam voce sua eam facultatem relinquere, à qua ipse ornamenti quicquid habeat, id omne accepisse videatur. Quare nõ esse cur refugiam, cur iustum ac debitum officium recusem, commotus hac re atq; monitione quòd passus sum, vt mihi hoc onus imponeretur, magnũ profectò multóque grauius quàm vt à me viribusq; meis possit sustineri, feci tamen audacius in eo subeundo, vt, quia vos & anni superioris assiduo concursu, & hodierna hac honorificentissima frequentia significatis quãtum honore, quãtum dignitate me auctum velitis: ego quoque vestri causa industriam tentarem, & vireis ingenij quantæcunque illæ in me sunt, periclitarer. Hoc onus si vos vestra humanitate, vestrísq; in me studiis aliqua ex parte alleuaritis, non diffido me ad extremum vsque id laturum, &, vt potero, vobis, huic loco, meo muneri, solẽnibúsque

studiorum initiis satisfacturum. Atque vt ad rem propositam veniam, multa sunt, Auditores ornatiss. quæ in natura rerum sic excellunt, vt sua dignitate ac præstãtia magnam moueant quo quo te vertas admirationem, ac vt cætera omittam summa, ima, quæ circum sunt, Cœlũ, Terras, Maria, quæque his ipsis continentur, quorum speciem & vsus qui miretur, obstupescat necesse est, natura hominis in primis non mediocrem in modum videtur admiranda, quæ non modò tantæ molis, ac mundanæ fabricæ ornatum, præclarissimámque gerit imaginem, itaq; μικρὸς κόσμος à Gręcis appellatur: verùm etiam præcipua duo illa habet ornamẽta, rationem & orationem de quibus antequam de eo, quod proposui, verba faciam, agendum esse censeo. Nam cùm omnis interpretãdi ratio in oratione posita versetur, ipsa autem oratio rationis animíque officio regatur, sequitur vt qui munus interpretis ornandum sibi proposuerit, ei prius de oratione sit agendum, qui de oratione dicat aliquid, ei antè sit de ratione ipsa disserendum. De ratione igitur primùm, de oratione deinde, postremò de facultate interpretandi, eiúsque laudibus agemus. Videte igitur Auditores ornatissimi, quàm admirabili, quàm pulchro ornamento ac munere natura nos donarit, mente inquam atque ratione, ea primùm intelligimus ac per sensus nuntios res comprehendimus, deinde quid quamque rem consequatur, quid repugnet, animaduertimus, quid deinde ex quibúsque rebus efficiatur ratione cõcludimus, singulaq; definimus, ac circumscribimus, vnde postremò scientia, quæ per omnes partes sapientiæ diffunditur, emergit. Iam ex rebus ipsis, quas sensu comprehendi diximus, collatis inter se, & comparatis, artes efficiuntur, aliæ necessitatis, vtilitatis aliæ, aliæ quoque delectationis causa ac voluptatis. Nihil enim tam necessarium, vel ad victum hominum, quàm agricultura ac venatio, vel ad depellendos calores Solis, frigora, & imbreis, quàm ars ædificandi, eiúsque complures comites, vel ad corpus vestiẽdum, quàm Textoris, Sutorísque ars. Nihil etiam vtilius, siue ad tuendam, recuperandám-ve sanitatẽ, arte mèdica, siue ad custodiendam eandem, re Gymnastica, vel ad propulsandã vim hostium,

finésque

finésque tuendos militari scientia, vel ad ea cōmoda comparanda, quibus nos caremus, abundant alij, nauium ædificatione, rerum nauticarum sciētia, ac mercatura, nonnullísque aliis eiusdem generis. Atque vt necessitate vsúque hominum hæ artes partæ sunt, ita delectatione voluptatéque Poësis, Musica, Pictura, nonnullæque aliæ in lucem proditæ, quæ quidem omneis quamuis ab officio mentis proficiscantur, tamen in iis rebus apparent & remanent, quæ sub sensum aliquem cadere possunt. At sunt aliæ præstantiores, quæ in iis versantur, quę cùm fiunt, tamen à quo fiunt, non seiunguntur, vt est ea Philosophiæ pars, quæ ad vitam pertinet, & mores, vt ea quæ scientiam regēdarum ciuitatum pollicetur, vt ea demū quæ rei familiaris tuendæ & augendæ præcepta dat, quam Græci οἰκονομικὴν appellant. Ac simul istæ omnes tam quæ in operibus effectis extant, quàm quæ sunt penes opificem, ad agendi finem referuntur. Nam sunt aliæ, quæ ad contemplationem pertinent, quæque in cognitione tantùm occupantur, hæ quamuis numero pauciores sint, genere tamen habentur magis abditæ, atque obscuriores, quarum aliæ in iis rebus positæ sunt, quæ neque prope materia nudantur, nec sine ea in definitionem veniunt, vt est ea quæ de naturæ obscuritate agit, quæ quidem pars quàm sit multiplex, acutissimi illius abditissimarum rerum indagatoris Aristotelis, inquam, tot volumina declarāt. Aliæ verò versantur in iis, quę etsi suapte natura non existunt, verùm definitioni detracta quasi materia subiiciuntur, huius generis sunt artes Mathematicorum subtiles ac reconditæ, & in magna rerum positæ obscuritate. Restat ex iis artibus, quæ contemplandi munus habent, ea quæ res tractat ab omni materia remotissimas, quæ tamen vel definitionibus, vel certè descriptionibus cognosci possunt, Metaphysici, seu Theologi dicuntur, qui scientiæ hoc genus profitentur. Inuenta præterea est disserendi subtilitas, vt, quoniam contemplatio, ad veritatem cognoscendam, cui falsum, actio, ad bonum adipiscendum, cui malum opponitur, quasi ad extremum quoddā spectāt, hac vna facultate à falsis vera dignoscerētur, à bonis mala, contraria eorum secerni pos-

ſent. Ex his itaque auditores ornatiſs. tam multis artibus, tam variis, præſtãtibúſque facilè poteſt intelligi, quàm excellens, quàm diuina, quàm admirabilis ſit ea vis hominis, quæ ratio vocatur, è qua tanquã ex quodam fonte tot riui defluxerunt. Neque verò ego iam vt rerum magiſter, ac præceptor, diſputationem hãc ſuſcepi, quid enim ego qui ſemper diſcendi deſiderio ardeo, quíque ingenuitatem, & ruborem meum modeſtia verborum præſtare cupio, quæ præſertim extra limites, finéſque mei ſunt muneris vobis præcipiam? aut quid eos docere ego poſſim, quorum alij in nobiliſſimo hoc Gymnaſio, rerúmq; maximarum cognitione quotidie verſantur, alij ſumma cum laude varia diſciplinarum genera publicè profitentur? Quid ergo? volui hodie profectò ſpectator, non doctor, admirator non demonſtrator tantarum eſſe artium, diuini muneris, humanæque rationis, quæ tot ſemina ſuæ fœcunditatis gremio complectatur, eámque ob cauſam non omnia ſum accuratè perſequutus, ne fortaſſe ſpecimen ſcientiæ iam dare voluiſſe exiſtimarer, volui ſimuletiam naturam ducem ſequi, quæ duo hæc in homine, rationem & orationem ita coniunxit, vt alterum ab altero diuelli diſſociaríque neſciat, vt qui de oratione verba facturus ſit, huic prius de ratione linguæ moderatrice ſit agendum. De officio itaque mentis ſatis actum, ſequitur vt de linguæ, orationíſq; munere iam diſſeramus, qua parte abſoluta, tum de prſtantia huius noſtri muneris, & interpretandi laudibus dicemus. Atq; vt faciliùs appareat præclara iſta & diuina eloquendi vis, cõcipiamus ea cogitatione quæ iam poſſumus, quid humano generi futurum eſſet, ſi quamuis mente ac ratione ſit præditum, linguæ tamen & orationis vſu caruiſſet. Primùm enim rationem ipſam, aut nullam, aut certè paruam hominibus commoditatem fuiſſe allaturam, cui eſt dubium? Nam ſi detracto velo corporis eadem fuiſſet homo conditione, qua cœleſtes illæ intelligentiæ, quas Angelos vocamus, quæque ad ſe ipſas intelligendas nullo internuntio indigent: ſed intelligunt tacitæ ipſæ inter ſe atque intelliguntur, prælarè commodéque ſanè cum eo ageretur, iam verò cùm eius mẽs & animus corporis quaſi

quibuſ-

quibuſdam ſit integumentis inuolutus, quî ſententiarum rationes explicare voluiſſet? vel impreſſas notiones quo modo cum altero ſenſáque ſua contuliſſet? nónne verborum loco perinde, atque qui ſenſu auditus à natali capti ſunt, nutibus capitis, manuum ſignificatione vſus fuiſſet? itaque altera laude ſpoliatus, altera mancus imperfectuſq; iacuiſſet, à beſtiarum gregibus vnâ tantùm re differẽs. Artes deinde atque commoditates per eas hominum ſocietati importatæ quæ fuiſſent, ſi vis orationis abfuiſſet? nam vt nunquam negãdum hominem docilem ingenio, & ad imitandum natum aptúmque ratione primùm naturę exprimere conatum eſſe, ita eundem affirmandum oratione vel docentem alios, vel ab aliis diſcentem, cum aliis communicantem, diſceptantem, iudicantem, ita vt ab ipſa natura inſtructus fuerat, ad ſocietatem, communémque hominum vtilitatem paulatim opera naturæ meliora reddidiſſe, geſtientem deinde ſuis inuentis in dies, eáque oſtentantem, atque ita multitudinem ingeniorum ad maiora excitantem, ad hoc tãdem, quod nos cernimus, faſtigium varias arteis extuliſſe. Quare perſpicuum ſatis eſt, ſi defuiſſet homini oratio, tot ſimul tantáſque artes, & maximas humani generis vtilitates fuiſſe defuturas, miſſas facio eas quæ oblectationis cauſa inuentæ ſunt, agrorum cultus qui fuiſſent? tectorum extructiones quæ? quæ tegumenta corporum? quæ æris? quæ ferri multiplex fabrica? quas omneis neceſſitas peperit, vtilitas aluit, Oratio & noſtrorum conſiliorum cum aliis communicatio educauit atque confirmauit, vt non minus orationis, quàm mẽtis beneficio conſequuti ſumma quædã videamur vt tecti, & veſtiti, vt ſalui eſſe poſſimus, vrbes, muros, domicilia, templáque habeamus. Vidit ratio ſpeluncas olim & primorum hominum receptacula, ſtatuit naturam imitari, at non poterat hominum quiſque id per ſe ipſe præſtare niſi ſocios adiutoréſq; ſibi aduocaſſet, reique vtilitatem demonſtraſſet, præſto itaque fuit oratio, quæ id non nutu, non geſtu, non muto tacitóque ſigno perſuaderet. Cognouit nauigandi vſum iam inde animus cùm homines lintribus flumina tranſmittebant, at ſine multorum ope qui nauigia ædificaſſet?

aut quomodo sine oratione magnas ad vitam copias ea re parari posse vndique probasset? Idem de mercatura, cæterísque artibus dicendum est, quæ excogitatæ ratione, nisi tamen sociam sese dedisset oratio, nullæ ferè fuissent, atq; ita homines maximo rerum omnium fructu, & vt ita dicam, mundi propè totius patrimonio fuissent fraudati: iam verò suis copiis cum ratione animíque viribus coniunctis bone Deus, quæ præsidia, quantas vtilitates, quot humano generi attulit ornamenta? hæc homines inter se cõiunxit, hæc societate iuris, legum, vrbium deuinxit, hæc à vita immani ac fera segregauit, hæc rerum nuntia, interpres animi, omnium artium doctrinarúmque parens. hac homines ignota didicerunt, nota docuerunt alios, hac alij alios impellunt, hac reuocant, hac afflictos cõsolantur, hac à metu perterritos deducunt, hac gestientes comprimunt, hac cupiditates, hac iracūdias restinguunt, hac denique inter cœtus hominum regnāt facilè latéque dominantur. Sed puto iam licere nobis, Auditores ornatissimi, præter lumen rationis & splendorem, orationis etiam diuitias, thesaurósque contemplari, vt facilè appareat quàm duo hæc naturæ admiranda opera, cæteris dignitate longè antecellant. Ac de linguæ etiam officio, admirabilíque vsu orationis, quæ interpretem animi agit in explicandis sensis animi plura quàm oportuerat fortasse. Sic enim se res habet, non ita ego sum rerum omnium ignarus, vt me lateat doctrina singularis, politiores literæ, omnísque humanitas, quæ in vobis vnicè quasi lumen aliquod elucet, sed necessitati, tempori, consuetudini parendum fuit, & in hanc quasi scenam prodeundum, vbi essem tot, talésque spectatores habiturus, vestra tamen bonitate clementiaq; fretus, ausus sum ego homo alienigena, & ingenio exercitationéque nihil ferè instructus Latinè vobis coram dicere, iis scil. qui in Latino sermone nati sunt ac educati. Quare vestra eadem virtute confirmatus, reliqua persequar, ne prius ego dicendi, quàm vos attentè audiendi finem fecisse videar. Venio itaque ad meum munus, & ad hanc interpretandi authores facultatem, de cuius laudibus cùm dixero, spero prolusioni huic nostræ, pro ingenij tenuitate

mei satisfactum iri. Quamuis igitur Auditores optimi, natura mater rerum plurima hominibus cùm ad vsum, tum ad ornatum fuerit largita, quæ nõ mediocrem admirationem afferunt, illud tamen non in postremis admirandum est, quòd hac etiam interpretandi via & ratione eos ornarit, quod quidem genus ornamenti à natura etiam ipsum profectum. Cùm tamẽ primò inchoatum rudiúsque esset, paulatim deinde politum ac limatum, ad absolutionem quandam videtur peruenisse. Atque vt originem rei propositæ à principio repetam, aliquantò altius initium orationis ducam. Vetus est opinio sacrarum literarum authoritate, cui nõ assentiri nefas, firma & stabilis, cùm in terris scelerum, flagitiorúmque omne genus latius diffunderetur in dies, Noë illius posteros, qui ab eius pietate in Deũ innocentiáque iam degenerauerant, Tyrannidémque affectabant, vrbem ac turrim altissimam ambitiosius ædificandam censuisse, tum domi præsidium, tum foris nomen sibi ac gloriam quærentes, tunc illum, cuius est numen supremum, & potentia præstantissima, non passum hoc facinus, admirandum in modum sermonem eius populi, qui vnus idémque erat, in multa quasi membra diuisisse, atque ita dissidio linguarũ animorúmque simul facto, superbiam eorum compressisse, fregisse audaciam, perfecisséque vt cœpti operis molitio iaceret interrupta. Ex hoc igitur quasi diuortio sermonis factum videtur, vt necessitate cogerentur homines vltro citróque terra maríque commeantes, ignotum linguæ genus discere, quo in communi vitæ consuetudine vterentur. Ac fuisse multos quidem credendum est, qui acumine ingenij præstantes, quotidiana obseruatione melius quàm alij rem perciperent. Fuisse etiam alios, qui vel quòd hebetiores tardiorésq; vel quòd negligentiores ignauiorésque essent, rationem eam contempserint, sed cùm ipsis etiam negotij nonnihil gerendũ esset cum iis qui aliena lingua vtebantur, coactos tandem eos fuisse verisimile est vt interpretes peritos adhiberent. Ita fit probabile, qui laude ingenij antecellebãt, ac sermonis varium tenebant genus, eos diuersas inter gentes nationésque agere interpretẽ cœpisse, qua primùm ratione

cùm facultas hæc interpretandi rudior illa quidem in publicum prodisset, paulatim tamen facta absolutior, fructus vberiores reddidisse societati hominum existimatur. Sed ab hoc etiam vsu, cùm ad præclarissimarum rerum studia peruenisset, ac præmia proposita publicè habuisset, ea ornamenta, eas vtilitates, ea demum animi oblectamēta attulit, vt nihil amplius vel ad dignitatem vel ad commoditatem, vel etiam ad voluptatē addi posse videretur. Quid enim tam honoratum, tam illustre, quàm si apertè, manifestè, dilucidéque explicentur, quæ grauissimi scriptores literarum monumentis obscuriùs mandarunt? quid tam amplum, tam magnificum, quàm si copiosius, vberius, interdum etiam ornatius tradantur, quæ exilia, ieiuna, inculta authores reliquerunt? quid ad optimarum doctrinarum cognitionem tam necessarium, quàm esse ducem, cuius auspiciis iter suscipiatur, eáque in primis lingua perdiscatur, in qua vna summæ omnes disciplinæ eminent, & qua facilè ad celsitatem fastigij earum peruenire possit? Quid præstantius, quid excellentius quàm tenere animos auditorum, vel in explicandis Poëtarum carminibus, vel interpretādis Oratoribus, vel fabulis narrandis, vel historiis exponendis, vel locis obscurioribus aperiendis, faciendísque opportunè, cæteris officiis quæ semper afferunt iis qui audiunt non paruam delectationem ac voluptatem? Quid denique tam diuinū, tam admirabile, quàm ea virtus, quæ tantarum laudum splendorem pollicetur? Neque verò hæc à me ita dicuntur, quasi mihi impudentius hanc laudem arripiam, & in alienam irruam possessionem: sed rem ipsam & interpretādi facultatem cupio quibuscumq; possum laudibus ornare, vt per quam hoc munere sum ego decoratus, ipsa quoque per me iure optimo, meámque vocem vtcumque illustretur. Hæc enim facultas illa est, quæ lucem tenebris, exilitati vbertatem, copiam inopiæ, incultis horridísque rebus, nitorem & ornatum affert, hac ipsa ratione, quæ ab Oratoribus dicta videntur strictius, ea dilatantur, fusiúsque explicātur, quæ obscurius ea illuminantur, distinguuntur, quæ confusius, quæ minùs ornatè, illustrantur. hæc est germana soror illius Eloquentiæ, quæ à Sapien-

à Sapientibus Regina omnium rerum meritò appellatur, hæc vtilitates solidas ad optimarum doctrinarum cognitionem præbet, hæc ad Regiam opulentissimam, omnibus copiis thesaurísque refertissimam aditum patefacit, hęc in vario, hæc in eodem sermone suum munus peragit, hæc latina græcè, græca latinè, latina latinè, græca græcè potest explicare, hæc verborum non ambigua interpres, hæc rerum certissima nuntia, hęc mouet, hæc delectat, hęc poësi, hæc historiis Auditores retinet, hæc demum eos quotidie ferè nouarum rerum accessione auctos domum dimittit. Quis ergo non admiretur tantam vim? quis magnificentiam non suspiciat? quis non vsu ac præstantia muneris huius moueatur? quis-nam oculus splendore tam diuini doni ac inuenti non perstringatur? admirāda sanè fuit in homine ratio, multò admirabilior coniuncta cum oratione, inuenta verò vtriusque, tot artes præclaræ, tot commoda, tot ornamenta, quas non habent admirationes? Sed hæc laudis accessio, & interpretandi vis, atque facultas omnem simul omnium laudum secum afferre cumulum videtur. quæ vitæ societas? quæ diuersarū lingua nationum coniunctio? quæ vtilitatum communicatio? quæ sermonis alieni fuisset intelligentia, nisi hæc vna ratio inter homines dissimiles oratione intercessisset? artes ipsæ optimæ postremò non tam facilè vel inuentæ, vel excultæ fuissent, vel cum plurimis communicatæ. Quare non est quòd miremini, Auditores ornatissimi: si tantæ virtutis excellentia commotus conari hodie voluerim, pauca de plurimis eius laudibus attingere, quò & facultas ea ornaretur, qua in hunc locum ipse sublatus videor, & solenni studiorū proludio quacumque ratione satisfieret. Quod reliquum est vobis primùm Doctores præstantiss. cæteríque viri nobilissimi, gratias ago, quas possum maximas, pro hac incomparabili humanitate, qua frequentes hodie honestissimo isto consessu, vestríque conspectus dignitate me ornastis, vos deinde bonarum literarum studiosi non ego quidem adhortabor cùm satis vestra sponte incitatos videam, sed quemadmodum boni Imperatores, instructo exercitu, & ad prælium per se optimè animato, Solent tamen pristina

& clarissima cuiusque facta referre, virtutémque accendere, sic etiam ego iam non animi addendi, quo minimè vobis opus est, sed commonefaciẽdi causa, pauca hæc addenda existimaui. Proponit itaq; vobis quancumque partem clarissimarum artium, ad quam animus sit vobis tandem peruenire. Siue differendi rationem, siue Mathematicorum artem, siue Philosophiam, siue rem medicam, siue quoduis aliud genus optimarum doctrinarũ, quis vestrum non videat, quàm sit ad eam rem necessaria cognitio Græcarum literarum? vís-ne dare operam obscuritati Mathematicorum? quis Euclide melius? vis in differendi subtilitate occupari? quis Aristotele absolutius? vis incumbere in Philosophiam? quis hoc genus eodem Aristotele illustrius, aut etiam Platone diuinius tractauit? ars medendi te fortasse eiúsque studium delectat? quis Galeno, quis Hippocrate hanc artem certius, perfectiúsque videtur tradidisse? Eadem est ratio in reliquis generibus disciplinarum, quæ omnes aut in hac vna lingua quasi quædam lumina elucent, aut certè melius, apertius, breuius, syncerius traduntur. Dixit hîc iuris, ac legum studiosus, quid mihi cum literis Græcis? quid mihi cum sermone ignoto & alieno? satis est supérque quòd eam orationem teneam, qua Pandectarum, Iurísque Consultorum volumina sunt mihi tradita, quasi verò leges ab Atheniensibus, Lacedæmoniisq; originem non duxerint, quasi non inuenias in omni parte iuris Græca verba, & simplicia & coniuncta, quorum qui ignoret vim, turpissimè labatur necesse est, quasi etiã desit authoritas grauissimorum doctorum, qui nostris temporibus, linguæ huius cognitionem nõ solùm ad iuris prudentiam necessariam, sed etiã sibi maximo esse ornamento arbitrantur? quid commemorem cæteras huius linguæ laudes? copiam admirabilem? verborum proprietatem? elegantiam, & alias quàm plurimas, quæ maximas lectoribus afferunt cum admiratione voluptates? ad Latina verò pleraque cognoscenda, Historias, Tabulas, in Oratoribus, in Poëtis parum cuique conferre videatur? Incumbite modò in hoc Adolescentes optimi, datéq; operam vt rem per necessariam ad omneis ingenuas artes cõplectamini,

reuocate

superioris anni studium, reuocate illum ardorem, quē frequentia quotidiana significastis. En Homerus eloquentiæ parēs, doctrinarum omnium princeps & author. En Demosthenes grauissimus dicendi magister vos vltrò vocāt, vos propè dixerim, inuitant ad regale splendidissimúmq; cōuiuium, ad eas epulas inuitat vos diuinus ille vates, quibus tot ingenia, tot secula, tot nobilissimos Philosophos expleuit, omnia in eius Poësi virtutum omnium, omnia sunt exempla vitiorum, illas, vt sequamur, hæc vt declinemus, omnia sunt in ea disciplinarum semina, omnium in ea rerum humanarum imagines apparent, atque ita apparent vt quasi lumina quædam in tenebris hominum vitæ præferantur. Hæ vos epulæ à tanto vate inuitatos iam expectār, hic vnicus animorum cibus vobis proponitur, nectare ambrosiáque, mihi credite, suauior, mitto carmina, mitto sonorum dulcedinem, numerorum varietatem, cæteràsque oblectationes vobis percipiendas. Inuitat præterea vos grauissimus omnium Oratorum omnium ætatum Demosthenes, proponit vobis acumen admirabile, prudentiam incredibilem, inuictam illam vim, qua ipse causas de manibus iudicum extorquebat, quàm sententiarum grauitatem bone Deus, quæ verborum pondera, quæ ad imitandum ornamēta, quàm præclara pollicetur? Quoniam autem hæc omnia iam superiore anno degustastis, ideo nunc dicendi finem faciam. Duces igitur illos sequamini, quorum auspiciis, ductu, opera, industria, fide, ac diligentia, omni difficultate superata, tandem amplissimis laborum vestrorum præmiis decorati maximas voluptates percipiatis.

FRANCISCI PORTI CRETENSIS ORATIO SEXTA.

Francisci Porti Cretensis Oratiuncula, in qua Demosthenis Oratio pro Ctesiphonte, siue pro corona commẽdatur, & artificium, quo Demosthenes Ctesiphontis, suámque causam egit, explicatur.

NON sum ignarus, Auditores ornatissimi, eius consuetudinis, quæ à nonnullis in hoc solenni studiorum initio seruari solet, vt in munus annuum proludāt aliquid, tum ad eorũ aures accōmodatum, qui ex inferiore loco audiunt, tum ad laborum, & certaminis, quod ipsi adeunt, ornatum quendam, ac dignitatem, credo, vt boni viri & animi gratissimi præstent officium, & à quibus se honorificẽtissimo conuentu ornari, videant, his quod debent, si qua volunt mensura nequeant, qua certè possunt, reddere non recusent. At ego, qui studiosorum vtilitate maximè moueor, & & præcipuè doctoris partes esse intelligo, non id agere vt extra rem vagetur, & auditorũ cœtus animi gratia secum abducat. Sed docere, rem propositam illustrare, semper denique nonnihil, quod opportunum sit, afferre, non teram tempus in iis rebus, quæ neque vobis necessariæ sunt, & à meo instituto vidētur alienæ: Sed ingrediar in ea, quæ bonarum literarum studiosis profutura puto, & ad pulcherrimam illam Orationem, quam suscepi iam interpretandam non mediocre lumen allatura. Quid enim pulchrius? quid admirabilius illa Oratione pro Ctesiphonte? audiamus Ciceronem quantis eã efferat laudibus in Orat. ad Brutum. Ea profectò (inquit) Oratio in eam formam, quæ est insita in mentibus nostris, includi sic potest vt maior eloquentia non requiratur. Et alibi, Itaque hic quem præstitisse diximus cæteris, in illa pro Ctesiphonte Oratione longè optima, summissius à primo, deinde dum de

legibus

legibus disputat pressius, post sensim incedens, iudices vt vidit ardentes in reliquis exultauit audacius. Hanc igitur Orationem iam suscipimus interpretandam, cuius virtutes atque laudes si pro dignitate possim exprimere, spero me, & vestræ expectationi, & meo muneri, atque prolusioni satisfacturũ. Sed antequam ad id quod proposui, veniam, quæ causa in iudiciũ delata sit exponam. in quo dabitis veniam, si dum cupio vitare crimen aut arrogantię, aut stultitiæ, verbis ipsius Ciceronis vtar. Is enim in illo opusculo de optimo dicendi genere, breuiter, apertè, ornatéque argumentum causæ huius explicat, esset autem arrogantiæ si mea Tullianis anteponerem, stultiæ, si deterius id vellem dicere, quod multò melius ab alio, atque adeò à M. Tullio est dictum. Adde quod nec rẽ aliud quicquam postulare, nec vos desiderare existimo, quàm vt Latinè, apertéque summa causæ totius iam tradatur, quid autẽ vel apertiùs vel incorruptiùs sermone Ciceronis? ab hoc itaque Orationis huius argumentum accipite, à me cætera quæ spectant ad quæstionem, inuentionẽ, tractationem, dispositionem, dicendíque genus, expectate. Nam de Libanio non dubito quin & ipse sit in bonam partem accepturus, si quod argumentum ipse Græcè scripsit, omittam, cùm Latinè mihi sit, non Græcè vobiscum nunc agẽdum. Sed iam audiendus est Cicero causam, quæ in iudiciũ deducta sit, exponens. Cùm esset lex Athenis ne quis populi scitum faceret, vt quisquam corona donaretur in magistratu priusquam rationes retulisset, & altera lex, qui à populo donarentur, in concione donari debere: quia in Senatu Demosthenes curator muris reficiendis fuit, eósque refecit pecunia sua, de hoc igitur Ctesiphon scitum fecit nullis ab ipso rationibus relatis, vt corona aurea donaretur, eáque donatio fieret in Theatro, populo conuocato, qui locus non est concionis legitimæ, atque ita prædicaretur eum donari virtutis ergô, beneuolentiæq;, quam erga populũ Athenienfem haberet. Hunc igitur Ctesiphontem in iudiciũ adduxit Æschines quòd contra leges scripsisset, vt & rationibus non relatis corona donaretur, & vt in Theatro, & quòd de virtute eius, & beneuolentia falsa

scripsisset, quoniã Demosthenes nec vir bonus esset, nec bene meritus de ciuitate. Hæc Cicero de causa, quam, quamuis abhorreat illa quidem à formula Romanæ consuetudinis, magnam tamen esse ait. habere enim eam & legum interpretationem satis acutam in vtramq; partem, & meritorum in Remp. contentionem sanè grauem. Cur etiam Ctesiphõtem in iudicium adduxerit Æschines, eodem in loco planum Cicero facit, quoniam (inquit) ipse à Demosthene capitis esset accusatus, quòd legationem ementitus esset, vt vlciscendi inimici causa nomine Ctesiphontis iudicium fieret de factis, famáque Demosthenis. Non enim (inquit) tam multa dixit de rationibus non relatis, quàm de eo quòd ciuis improbus vt optimus laudatus esset. Addit etiam quo tempore acta fuerit hæc causa. Hãc mulctam (inquit) Æschines à Ctesiphõte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem, sed iudiciũ factum est aliquot annis post. Alexandro iam Asiam tenente, ad quod iudicium (inquit) Concursus dicitur è tota Gręcia factus esse. Habetis à Cicerone genus causæ. Quamuis autẽ quæ dicta sunt ab eo, & accusationi Ctesiphontis, & defensioni seruiant, nos tamen dum defensionem tantùm interpretabimur, operam dabimus, vt simul accusationis crimina singula cognoscantur: iam accipite quæ vobis sum pollicitus de quæstione, de inuentione ac cæteris eloquentiæ partibus. Ac primùm quod ad quæstionẽ attinet, & ad genus vniuersum, quò causa tota reuocanda est, si eam demptis personis ac tẽporibus nudam inspiciamus, illa est. Sitne præmiis afficiendus is qui & vir bonus & optimè meritus de sua ciuitate videatur: sin ad ipsa crimina personis nõ exclusis, triplex apparet: an scilicet orator rationes retulerit, an liceat in Theatro coronæ donationem fieri, an veræ sint laudes, quas scito tuo Ctesiphon ei tribuerit. Sed quoniam ex arte, ac rhetorum præceptis, quælibet causa, siue de re, siue de scripto ambigatur, ad vniuersum genus oportet reuocetur, iccirco eam esse summam totius causę diximus. an vir bonus, & bonus ciuis præmiis afficiendus videatur. Secuti præcepta Ciceronis. Is enim in diuinis illis de Oratore libris, sub Antonij persona redarguens minutos

nutos quosdam illius ætatis Rhetoras, quòd in partiendis Orationum modis duo causarum genera constituerent, finitum alterum, alterum infinitum, ignaros eos fuisse ait, omnes controuersias ad vim atque naturam vniuersi generis referri, additque in L. Opimij causa, nihil ad oratoris locos personam rei Opimij, nihil Decij accusatoris pertinere: de ipso enim genere infinitam quęstionem esse, num pœna videatur esse afficiēdus, qui ciuem ex Senatus Consulto patriæ conseruādæ causa, interfecerit, cùm id per leges non liceret: nullam denique efficit esse causam, in qua id quod in iudicium venit, ex reorum personis ac non generum ipsorum vniuersa disputatione quæratur. Neq; solùm in iis controuersiis in quibus de scripto, sed etiam in iis ipsis vbi de facto disceptatio est, eandem rationem tenendam pręcipit, & omnia ad locos cōmunes reuocanda. Quinetiam personarum dignitatem, indignitatémq;, quæ prorsus extra causam sunt, ad eundem locum traducēdas arbitratur, scil. vt quàm latè pateat hæc vis atque hoc genus intelligeremus, & quàm vbereis afferat fructus, aut iis qui se ad eam rationem exerceant, aut iis, qui vel orationem, vel scriptionem aliorum eodē modo perpenderent. Huius autem rei vtilitatem dignitatémq; idem author his verbis aliàs demōstrat. Crassus loquitur. Ornatissimæ sunt igitur Orationes eæ, quæ latissimè vagantur, & à priuata ac singulari controuersia se ad vniuersi generis vim explicandam conferunt, & conuertunt. addit deinde vsum, vt ij qui audiant, natura, & genere, & vniuersa re cognita, de singulis reis, & criminibus & litibus statuere possint. Hāc itaque authoritatem Antonij, & Crassi, vel potius Ciceronis, in hac causa secutus ego quoq; omissis criminibus singulis, genus vniuersum esse inueniendum iudicaui, in quo omnis orationis huius vertatur disputatio, & quo summa omnium argumētorum reuoluatur, quod illud esse paulò antè diximus: Sít-ne præmiis afficiendus bonus vir, & qui sit optimè meritus de sua ciuitate. Quòd autem Orator de suis ciuibus optimè meritus esset, id suscipit probandum, ex factis, cōsiliis, meritis denique suis in Remp. quibus efficit veras esse laudes quas Ctesiphon sibi tribuerat, itaque

ſe coronæ hoc honore iure optimo dignum pronūtiat, & in hoc loco potiſſimum commoratur, ad cætera crimina, de non relatis rationibus, de loco, quòd non eſſet legitimus, perquam paucis reſpondet. Iam quoniam inuenta quæſtio eſt, ſequitur vt de inuentione diſſeramus. atque vt omittam eas Philoſophiæ partes, quæ in maxima ſylua rerum ſunt abditæ, ad ea veniam quæ in media luce verſantur, quæque animorum oculis facilius occurrūt, & à Scholis ac Rhetorum præceptis remota non videntur. Quid enim ego iam aut de rerum ciuilium cognitione diſputem, ſine qua Oratio, ſiue in Senatu, ſiue ad populum ieiuna, & exilis futura eſt, aut de natura, de vita atque moribus, quos locos niſi diligentiſſimè perueſtigarit, nunquam poterit Orator animos vel inflammare, vel reſtinguere, ad quemcunque denique motum impellere, id quod vnum maximè in eo dominatur? aliud tempus, alias vires, longiorem diſputationem hæc planè poſtulāt, & tamen horum quoque fontes tantùm cùm de forma Orationis agam demonſtrabo. Sed iam ea miſſa faciam, & ad illa me conuertam, quæ & ipſe melius dicendo aſſequi potero, & literarū ſtudioſi facilius tradita retinere. Qua in re, ſi genus dicendi διδασκαλικώτερον, & ad docendum magis aptū quàm ad pompam interdum erit, id fiet, vt eorum vtilitati ſeruiatur, qui ſunt huc audiendi cauſà quotidie venturi. Perſpicuum eſt igitur ex iis quæ antè diximus, cauſæ ſtatum iuridicialem eſſe, in quo æqui, iniqui, pœnæ, præmij ratio quæri ſolet. Æqui & iniqui, hoc modo, æquū-ne ſit vlciſci à quocunque acceperis iniuriam, Pœnæ, vt ſuperius illud Opimij, num pœna videatur eſſe afficiēdus qui ciuem ex Senatus-Conſulto, patriæ conſeruandæ cauſa interfecerit, cum id per leges non liceret. Præmij, an ſit pręmiis ampliſſimis afficiendus is, qui commodum ac dignitatem patriæ vel ſuæ ſaluti anteponit, quemadmodum etiam hic quæritur, ſitne pręmio afficiendus, qui bonus vir & bonus ciuis eſſe videatur: quod autem venit in iudicium idem nunc eſt, ac ipſa quæſtio, nam non ſemper iudicatio (vt vocant Rhetores) addendis rationibus, & ſupponendis rationū infirmationibus quærenda eſt, ſæpiſſimè enim ſimplex inuenitur,

vt in

vt in causis quæ spectant ad statum cōiecturę. Iam cognita natura causæ, & inuēta iudicatione, locos ex quibus argumenta eruta fuerint ad probandum videamus. Ratio igitur præmij ex authoritate Ciceronis, quatuor in parteis est distributa, in beneficia, in hominem, in præmij genus, & in facultates. rursus beneficia, aut ex sua vi, aut ex tempore, aut ex animo eius, qui fecerit, aut ex casu considerari oportere dicit. Ex sua vi, hoc modo, magna an parua, facilia an difficilia, singularia, an vulgâria, vera etiam, an falsa Oratione honestentur. Ex tempore, si tum cùm indigeremus, si cùm cæteri non possent, aut nollent opitulari, si tum cùm spes deseruisset opitulatus sit. Ex animo, si non sui commodi causa, sed eo consilio fecerit omnia, vt hoc conficere posset. Ex casu, si non fortuna, sed industria factū videatur, aut si industriæ fortuna obstiterit. Ac in beneficiis, quæ erat prima pars præmij hæc sunt cōsideranda authore Cicerone. in homine verò, quibus rationibus vixerit, quid sumptus in eam rem, aut laboris insumpserit, & si quid aliquādo tale fecerit, num alieni laboris, aut deorum bonitatis præmium sibi postulet. Num necesse fuerit ei facere id quod fecerit, & cætera id genus. In præmij autem genere, quid, & quantum, & quam ob rem postuletur, & quo, & quanto, quæque res præmio digna sit, considerandum esse præcipit, deinde apud maiores, quibus hominibus, & quibus de causis talis honos sit habitus, deinde ne is honos nimium peruagetur. Facultates autem, quæ erat postrema pars considerari oportere hoc modo docet, cùm scil. præmium pecuniarum postulatur, Sít-ne copia agri, vectigalium, pecuniæ, an contra. Habetis locos artis de ratione præmij, à Cicerone non solùm artifice politissimo, sed etiam Oratore præstantissimo, ferè ad verbum traditos. Iam videamus num huiusmodi præcepta in hac defensione reperiantur, sed prius illud testatum relinquemus, non omnia quæ in præceptis Rhetorum sunt, ab vna causa expectari debere. Ars enim seriem rerum, & omne instrumentum suppeditat, Oratoris prudentia, ea tantùm quæ videt necessaria, tractanda sumit. Itaq; quartam illam partem de facultatibus hic omittemus, vbi præ-

mium honoris, non pecuniæ petitur, & ad ea quæ grauissimum Demosthenis iudicium delegerit, in petēda corona veniemus. Atque (vt ad priorem locum redeam) multa, ac varia beneficia in Remp. se contulisse orator gloriatur, in quo numero, non multa esse, quæ nec parua, nec vsitata, nec vulgaria: sed & genere ipso singularia, & magnitudine præstantia, & nouitate prima videantur. nam & cōsilio & opera, fortunis etiā suis Remp. adiutam docet, idq; interdum eo tempore, eóque rerum statu, quo merita nimirum iudicari maxima solent, semper se bonum virum, bello, pacéque ciuem egregiū fuisse, cùm ad Remp. administrandam se dedisset attentissimè rerum initia, processus temporum notasse, ad eorúmque naturam sua accommodasse consilia. quæ ipse præsensisset tam suis quàm cæteris Græcis ante denūtiasse. Tyrannis, & iis qui Græciæ libertatem euersam cupiebant, restitisse totis viribus, & proditores omni tēpore fuisse insectatum. Primùm enim cum ad Philippum legati de pace mitterentur, scitum se fecisse dicit, vt legati peruenire quamprimum ad Regem maturarent, quòd ita interesse maximè Reip. prospiciebat, nam si Philippus primo quoque tempore pacis conditiones accepisset, futurum vt à rebus abstineret, quæ erant populi Atheniēsis in Thracia, quas si daretur tēpus, esset occupaturus. Deinde bellum gloriosum suasisse, & pro libertate Græciæ quam tantis cum periculis maiores sui retinuissent, cuíque Philippus insidiaretur, fortiter dimicādum esse ostendisse. Duo illa præterea sententia sua obtinuisse, alterum, vt in Peloponnesum & Euboeam, quas Philippus attentabat, legati, alterum (quod etiam erat maius) vt Oritanis, & Eretriensibus auxilia mitterentur, illas, vt à iungendis armis, amicitiisque cum Macedonū Rege deterrerent; hos, vt Tyrānidem Clitarchi Philistidísque liberarēt, nec aduersus Atticam in Euboea cōstitui Tyrannos paterentur. Classes etiam & auxilia sæpius missa Byzantium, in Chersonesum Thraciæ suo impulsu missa dicit, vnde non solùm res illas ab impetu Philippi fuisse conseruatas, sed etiam magnam annonæ vtilitatem Athenis consecutam. At de eo gloriosius loquitur, & magnificè se iactat, quòd cùm

cùm Elatiam maximam agri Phocensis vrbem Philippus occupasset, & magno perculsi metu Athenienses hæsitarent, nullo ex tam multis qui aderant ad concionē habendam, & consilium dandum prodeunte quamuis ex more præco rogitaret, ecquis prodire, ecquis habere vellet concionem. ipse vnus tam necessario Reip. tempore surrexerit, causas aduentus Philippi (quantum ipse coniecturis assequi posset) exposuerit, quo eius cōsilia spectarent ostenderit, quid denique agendum, & quibus cum mandatis legatio ad Thebanos mittenda esset demonstrarit. Illo scito suo Thebanos & Athenienses depositis inimicitiis in gratiam rediisse gloriatur, neminem ante se quicquā tale vel vidisse, vel suasisse, authoritate illa factum, vt omnium animi maximo illo metu liberarentur. Legatione sua etiam persuasum, vt arma Thebani iungerent, vnà cū Atheniensibus, vim & impetum Philippi retardarēt. Num paruum, num vulgare hoc Oratoris in Rempub. meritū tam asperis temporibus, in tanta Oratorum inopia videtur? Legem etiam à se latam de Trierarchis, non mediocri laude dignā demonstrat, nam cùm rem nauticam corrumpi, ac deprauari indies videret, & fortunatos, & locupletes homines impensas recusare, inopes verò suæ paupertatis reliquias in vsus publicos exhaurire, tulisse se rogationē ait, vitiaq́; ista ciuitatis correxisse, leuasse pauperes, opulentis iustum onus pro patria imposuisse, atque ita perfectum, vt (si quid accidisset) ad nutum Reipub. posthæc (quod ante non fiebat) instructæ paratæq́; classes essent. Cōmemorat illud etiam quod non paruam habet vigilantiæ commendationem. Sua enim opera docet detectum facinus cuiusdā Antiphontis, & comprehensum ipsum hominem, qui Atheniensium naualia se incensurum receperat Philippo, quiq́; perpetrādi sceleris causa in Piræeo latitabat. Illa verò merita, nec pauca, nec parua, nec non commemorāda esse ostēdit, quòd ad quoscunq; missus esset Legatus semper dicendo vicerit, nunquam ipse vel oratione, vel auro, muneribúsque victus fuerit, quòd tarditatem, pigritiam, ignorationem, contentiones, cęteráque id genus popularia vitia (quantum in se fuerit) suis detraxerit, & ad concordiam

ac ſtudium conſeruandæ Reipub. eos induxerit, quòd ſocietates tot, ac tãtas ſuæ Reipub. adiunxerit, Euboenſium, Achiuorum, Corinthiorum, Thebanorum, Megarẽſium, Leucadiorum, & Corcyræorum. Quòd toties de ſuo publicè ſumptus fecerit, in ludorum apparatibus, in ornandis inſtruẽdíſque triremibus. His itaque meritis præcipuè Orator gloriatur, nam quòd rebus dubiis curator deſignatus muris reficiendis, mille & octingentos coronatos ad publicum opus de ſuo dono dederit, quòd etiam ad deorum ſacrificia, & hoſtias emendas, mille fuerit largitus, quòd denique priuatim nonnullos ciues, alios pecunia ſua redemerit, alios in puellis collocandis adiuuerit, quamuis iſta etiam præclara, illuſtriáque ſint, non propterea tamen Orator ſe effert. Opum enim & copiarum eſſe, illa virtutis, beneuolẽtiæ, prudentiæq́; arbitratur. Explicaui quambreuiſſimè potui, auditores ornatiſſimi, ea quæ ad multiplicẽ, beneficij rationem pertinebant. vt cerneretis quæ merita, quàm multa, quàm difficili pleraque Reipub. tempore in eam Orator contuliſſet, eáq; non ſui: ſed publici commodi cauſa, nec temerè, vel caſu, ſed conſilio, atque induſtria, qui erat primus locus in ratione præmij. hoc itaque cognito, ſequitur vt ad alteram partem veniamus, in qua dignitatem, vel indignitatem perſonæ quæ petit præmiũ, quæri diximus. Huius quoque generis nõ omnes parteis (quemadmodum de loco facultatum ante docuimus) in Oratoris tractationem veniunt, eáque de cauſa pleraſque ſuperius omiſimus. Neque enim quæritur iam num ante tempus præmium petatur, vel num huiuſmodi ſit factum, vt niſi feciſſet Orator, ſupplicio dignus eſſet, nõ quia fecerit, præmio, & ſic de reliquis. Quare quæ ab Oratore tractantur, eas tantùm oſtendemus, ſunt autem ſumptus, & labores in rem inſumpti, alterius facti ſimilitudo, & vitæ ratio. Ac de ſumptibus, & diligentia in muris reſtituendis adhibita, paulò antè ſatis dictum eſt, nec non de eo quod aliâs in ciuitatis vſus fortunas ſuas Orator profudiſſet, reſtat igitur, vt de vita, & moribus in quibus dignitas hominis præcipuè apparet, nunc agamus. Puerum itaque ſe inſtitutum liberaliter Orator ait, & iis imbutũ artibus, quibus ad huma-

manita-

manitatem illa ętas informari ſolet, omnibúſq; rebus puero ingenuo dignis, affluxiſſe, at ex pueris vt primùm exceſſit, continuò ad munera veniſſe publica, & Choragum, & Trierarchũ frequentius egiſſe, & ſplendoris ſui ſpecimen, tam publicè quàm priuatim oſtendiſſe. Poſtea quàm ad Rempub. adminiſtrandam venit, tum verò plurima beneuolentiæ, prudentiæ, integritatis, conſtantiæ, ſigna ſeſe dediſſe, eam denique ſignificationem ſuæ voluntatis erga patriam & Græciæ totius incolumitatem, vt æquè à ſuis, atq; ab externis ſæpius corona donatus fuerit, & conſenſu omnium vir optimè meritus non ſolùm de ſua ciuitate, ſed etiam de Græcis omnibus fuerit iudicatus. Iam demõſtrati ſunt inuentionis loci præcipui, qui ad hoc genus pertinent, & in quibus hæc ſupellex argumẽtorum latet. Nam de genere præmij, aut de magnitudine, nec Orator diſputat, nec erat neceſſe: non enim vt referatur gratia, ſed præmium virtutis, & honorũ poſtulat, qui vel in Oleaſtri corona (vt olim in ludis Olympiis) idem ſplendoris ac in auro, & gemmis erat illaturus: ſed quoniam nonnullæ huius loci partes cauſæ ſeruiũt, ipſas quoq; percurramus, in quibus parum laboris relinquitur, quia magnam partẽ eorum quæ hic dicenda erant, abundè in ſuperioribus explicauimus: nam & cauſas grauiſſimas eſſe docuimus, cur Orator petat pręmium, & enumerauimus ſummam in eo dignitatem, optimam voluntatem in ſuam, & in cæteras Græcorum ciuitates, grauitatem, integritatẽ, liberalitatem, cùm in omnes ciues, tum in ſingulos, labores pro Repub. cætera denique merita, nec pauca, nec parua: Illud iam addendum eſt, quòd Orator ex his efficit non ſolùm iſtam coronam, ſed & plura, & maiora, & ampliora ſibi deberi præmia. Demonſtrat etiam exemplis nonnullorum nihil alieni à more ac inſtituto ciuitatis ſe petere, nam & alios multò leuioribus de cauſis hoc præmio affectos: præſertim in Theatro, & ſibi pluſquam ſemel, & iterum iam idem contigiſſe. Neque verò eſſe dubitandum ne honos is nimium peruagetur, ſed ſperãdum potius fore quamplurimos, qui gratiſſima populi voluntate perſpecta optimè velint promereri de Repub. ita futurum, vt populi beneficium nõ ad

contemptum,ſed ad decus,& maiorem dignitatem adducatur,contrà ſi denegentur debita præmia, omnes à virtutis ſtudio repulſum iri,ſed de pręmio quoque ſatis dictum. Licet enim iã, Auditores ornatiſſimi, videre fonteis ipſos ex quibus argumenta Orator duxerit ad id quod veniebat in iudicium probandũ, an præmio videlicet eſſet afficiendus. Expoſui ferè totam rationem præmij in quatuor illos locos diſtributam,in beneficia,in hominis dignitatem, in genus pręmij,in facultates, horum locorum parteis minutiores etiã oſtendi,docui denique quos ex his Orator probauerit,& quibus præcipuè vſus fuerit, vt cõcluderet iure optimo coronæ hunc honorem ſibi delatum. veras enim eſſe laudes, quas ſibi Cteſiphon ſcito ſuo tribuiſſet.

Nam ad illa crimina, de nõ relatis rationibus, de Theatro,quòd nõ eſſet locus legitimus,paucis (vt antè diximus) reſpondet. Quòd ad prius pertinet, partim negat ſe non retuliſſe rationes,partim probat non debuiſſe,vt appareat ſtatum ſuperiorem eſſe coniecturam, poſteriorem iuridicialem. Quòd ſpectat ad poſterius,& ad locum non legitimum, particula quadam legis probat donationem etiam in Theatro fieri licere, ſi vel à populo, vel à Senatu is honos habeatur,vt cõſtitutio ſit ea quæ legitima dicitur. Sed breuiſſimè (vt diximus) Orator hæc attingit,quibus ab aduerſario grauiter premebatur, eſt autem parum tutum in hoſtium verſari caſtris, ſua dimittere præſidia: præclarè enim agi cum illis exiſtimandum eſt,qui firmiſſimũ quemque locum, & cuſtodiam rectè tueri, ac victoriam ſperare ſine vulnere poſſe videntur. Itaque Orator quo nihil cautius, nihil rectius, nihil etiam aſtutius non ſolùm paucis ad hæc reſpondet, ſed etiam (vt in ipſo loco docebimus) Iudicibus imponit. Iam quoniam de quæſtione, de inuentione quoque argumentorum ſatis multa diximus, de eorum tractatione paucis agamus. Nã etſi vos (quæ veſtra eſt humanitas) fauere auribus,& animis intelligo, idq; facilè ex oculis, & vultu veſtrum omnium perſpicio, nolo tamen vel abuti veſtra patientia,vel nullam hodierni muneris habere rationẽ, præſertim cum illud minimè ſit dubium, tam breui temporis ſpatio omnes orationis huius virtutes,

virtutes & Rhetorum omnia præcepta exponi non posse. Annos hic labor totos, non diem vnum, aut exiguam eius partem desiderat. Quare Auditores ornatissimi, iam satis fore arbitror, si locorum tantùm notas eminus ostendero, longiorem verò de vsu disputationẽ ad munus quotidianum reseruabo, atque polliceor me tunc exemplis huius ipsius Oratoris, interdum etiam Ciceronis, daturum operam, vt artis hæc præcepta illustrẽtur. Nunc (vt institutum sequar ordinem) difficile dictu est, quàm varia in Demosthene, quàm admiranda sit tractatio, quàm diuina, occultat artem, & ad eam tanquam ad mysteria quædam profanos non admittit, nunquam fastidio, nunquam satietate afficit, semper auditorum animos varietate tenet, semper delectat, ita tamẽ, vt religiosam quandã, & cultu dignam maiestatem semper retineat, proponit quod affert, & quare id ita sit ostendit. Sæpe non proponit, at ratione ipsa allata quid proponẽdum fuerit, declarat. Concludit rẽ propositam, relinquit aliâs & trãsit ad aliam, probationes ante rem probandam, confirmationésque frequentes apud eum inueniuntur, item similitudines, & earum expositiones ante id quo de agitur, argumentorum puncta ita cùm placet ab eo conteguntur, vt nullis nisi peritissimis facilè facultas cernendi detur. Verùm quid dicam de vi pertractandorum animorum? quid de illo genere, quo excelsior, admirabiliórque fit eloquentia, & in quo, vel omniũ consensu orator dominatur? linquamus communem sensum, quid Cicero iudicet grauissimus dicendi author, & magister, videamus. Is enim scribens ad Brutum quærentem quod genus orationis maximè ille probaret, cùm ad eam partem peruenit, in qua de perturbandis animis, & facultate ista Oratoris verba facit, Duo sunt etiam (inquit) quæ bene tractata ab Oratore admirabilem eloquẽtiam faciãt, quorum alterum est (quod Græci ἠθικὸν vocãt) ad naturam, & ad mores, & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum, alterum (quod iidem παθητικὸν nominant) quo perturbantur animi, & concitantur, in quo vno regnat oratio, illud superius, come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum, hoc vehemens, incensum, incita-

tum, quo causæ eripiuntur. quod cū rapidè fertur, sustineri nullo pacto potest. Et paulò pôst. Verùm (inquit) hæc vis quam quærimus, quanta sit suspicemur, quoniam exempla non habemus, aut si exempla sequimur, à Demosthene sumamus, & quidem perpetuæ dictionis ex eo loco, vnde in Ctesiphontis iudicio de suis factis, consiliis, meritis in Republica aggressus est dicere. Hæc Cicero. Videtis vos Adolescentes ornatiss. quãtum huic permouendorum animorum loco in eloquentia ille tribuat? videtis etiam simul quanti faciat Demosthenem, quanti hanc defensionem, cùm ab ea maximè exempla huius virtutis sumenda esse censeat? Nec iniuria. Ita hic Orator, cùm aliâs, tum in hac præcipuè causa, modò torrẽte quodam Orationis fertur, & auditorum animos quancunq; se dederit in partem, rapit, modò placidè, sedatè labitur, & veluti leuissimus amnis in mentes eorundem influere videtur: facilè nõ potest exprimi profectò, quibus modis à primo beneuolentiam sibi conciliet, se suósque mores commendet, ab aduersario Iudices alienet, qua ratione paulatim in eũ struat odium, primùm, commune ius ab eo contemptum dicat, iniquè factum illud quo à iuratis Iudicibus contenderit, vt certa dicendæ causæ ratio, certus ordo sibi præscriberetur. Leges enim reis permittere, vt quo velint vtantur ordine, tantam deinde iam esse inhumanitatẽ hominis, vt suis ciuibus negotium facesseret, & innocentibus periculũ crearet. deinde, alios ab eo oppugnari, alios in iudicium adduci, postremò, quòd non vt iustus accusator suo quodque tempore crimen ad iudices detulerit, sed vt improbus calumniator multis post annis falsa crimina congesta intentaret. Atq; hæc à primo molitur Orator, progressus deinde pedetentim, vbi vidit se satis munitum, satis tutum locũ occupasse, Immortalis Deus, quas Orationis faces? quæ incendia admouet? omnia ardere, omnia certè conflagrare inuidia diceres. Huic autẽ Orationis generi vehementi & atroci, genus illud alterum admiscet lenitatis, quo conciliantur ad beneuolẽtiam animi, tum dignitate hominis, tum rebus à se gestis, tum denique vitæ existimatione. quibus de rebus quia latè in superioribus egimus, ad causæ dispositio-

ſpoſitionem veniemus. Tria itaque(vt planum ſupra feci-
mus) Æſchines obiiciebat Cteſiphonti, quòd non relatis
à Demoſthene rationibus eum aurea corona donandum
eſſe ſcripſiſſet, quòd in Theatro, quòd eundẽ falſis laudi-
bus ornaſſet,ſummáque contentione petebat à Iudicibus,
vt ſi Demoſthenes prodiſſet, eundem ordinẽ ab eo in de-
fendendo exigerent, quem ipſe ſeruaſſet in eodem accu-
ſando, vt primo loco doceret relatas à ſe rationes, ſecũdo
de Theatro locum eſſe cõcionis legitimæ probaret. Ter-
tiò ac poſtremò, ſuas laudes (ſi vellet) veras eſſe demon-
ſtraret. Verebatur enim Æſchines (id quod etiam euenit)
ne ſi primùm ſe Demoſthenes ad eam partem defenſionis
conuertiſſet, vt probaret veras eſſe laudes, quas ei Cteſi-
phon tribuerat, vel orationis copia Iudicũ animos obrue-
ret,vt cæterorum criminum obliuiſcerentur,vel certè illis
(vt facit)imponeret. At Orator ita defenſionis huius ratio-
nes diſpoſuit, vt ordine mutato, primùm ad poſterius cri-
men,quod ad ipſius laudes pertinet, reſpondet, deinde ad
primum,quod erat de non relatis rationibus, poſtremò ad
ſecundum, de loco concionis, eo ſcilicet cõſilio vt firmiſ-
ſimis præſidiis aditus cauſæ muniret,ita tamen, vt eandem
rationẽ in exitu teneret, ea verò quæ plus mali, quàm bo-
ni habere videbantur, quaſi bonus Imperator in mediam
turbam coniiceret, illum ordinem ſecutus, vt primo loco
doceat veras eſſe laudes, quas de virtute ſua Cteſiphon
ſcripſiſſet, poſtremò idem faciat,in medio pauca quædam
dicat de non relatis rationibus, & de loco quò populus e-
rat conuocãdus,eſſet, nec-ne legitimus. hoc autem genus
diſponendi argumenta, totum ad artem Oratoris, & pru-
dentiam, non ad naturam ſpectat. Natura enim certam
ſeriem, certúmque ordinem ſequitur, ſed iudicium O-
ratoris, quicquid aut ad docendum, aut ad probandum,
aut ad perſuadendum accommodatius eſt, id arbitratu
ſuo primum, vel medium, vel denique poſtremum ordi-
ne ponit: præcipuum cauſæ crimen in A. Cluentij defen-
ſione illud erat, Oppianicum veneno necatum à Cluen-
tio, ad hoc accedebat, quod T. Actius criminabatur, Iu-
nianum iudicium ab eodem Cluẽtio corruptum, vt dam-

naretur Oppianicus, & tamen Cicero docēdi, probandiq; causa, mutauit aduersarij ordinem, & prius de posteriore crimine longa Oratione disputauit, de priore, nō ita multis egit postea, hoc enim reum leuiter, illo grauissimè premi animaduertebat, propter suspicionem scil. corrupti iudicij, quam in eum Quintius Tribunusplebis turbulentis concionibus traduxerat, quo sublato, alterum facilè posse obtineri videbat Cicero: itaque defensionis ordinem mutauit. Sed de dispositione quoque totius causæ satis hodie, quam posthac in partes minutiores distributā accuratius trademus. Iam reliquū est, vt de forma Orationis nonnulla disseramus. Tria sunt omnino dicendi genera, quæ pro rerum vel dignitate, vel humilitate, vel etiam mediocritate quadam, nomen inuenerunt, magnificū, summissum, temperatum. Temperatum huius Orationis genus nō dixerimus, nam & res quæ in eo continentur magnæ grauésque sunt, ad Remp. enim & Imperij maiestatem pertinēt, & personæ nequaquam mediocres, nā & Demosthenes, & Æschines facilè ciuitatis principes habebantur. Porrò si temperatum non est, summissum multò minùs, sequitur ergo vt genus illud sit, quod plenum, quod amplum, quod magnificum, quod denique omnibus eloquētiæ laudibus apparet cumulatum. Et quoniam ex rerum dignitate maximè diximus speciem ac decus hoc orationis elucere, nō erit fortasse alienum si res istæ quænam sint breuiter osten damus, ita fiet vt simul fontes rerum quæ pertinent ad inuentionem commostrentur, id quod sum pollicitus cùm de argumentorum ratione disputabam. Hermogenes, qui & aliis de rebus subtiliter, & de formis orationis minutissimè diligentissiméque scripsit, in ea parte vbi de grauitate præcepta dat (grauitatē ego iam voco quam ille σεμνότητα) quatuor proponit locos in quibus omne sentētiarum genus, quod ad illam formā pertineat, includit, in primo loco ponit eas sententias quæ agunt de aliis, non tamen fabulosè, fabulosas enim sentētias iucunditatis, nō grauitatis esse dicit, & Poëtarū magis qui studēt delectare, quàm eorum qui seueritatē in Oratione retinere volunt. Fabulosè autē de diis illa dici narrat, exemplis nos vtemur La-

rinis quo res sit dilucidior, Ea verba locutus (inquit Virgil. de Vulcano Venerem amplectente, Optatos dedit amplexus, placidúmque petiuit, Coniugis infusus gremio per membra soporem. Et, Oscula libauit natæ. Et sexcēta alia tã apud Græcos, quã apud Latinos Poëtas: Poëtas.n. hæc & alia id genus diis, non vt diis, sed vt hominibus tribuere solere, atque hęc fabulosè de diis dici refert Hermogenes, illa nō fabulosè, sed seuerè. Probitate videlicet præstabat, probus aūt inuidet nemini. Verba sunt Ciceronis in libro de vniuersitate causam cur mūdum Deus creauerit, scrutantis, & paulò pòst. Nam cùm constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur, quicquid erat quod in cernendi sensum caderet, id sibi assumpsit non tranquillum, & quietum, sed immoderatè agitatum, & fluctuans, ídque ex inordinato in ordinem adduxit, hoc enim iudicabat esse præstantius. Multas ab his non dissimileis sententias affirmat Hermogenes in Timæo Platonis inueniri, vnde Cicero Latinè cōuertit ea quę paulò antè diximus. Sed (vt ad rem redeā) ille in primo grauitatis loco, has collocat sententias, in secūdo eas quæ de natura rerum agunt, de cœlis, de elementis, de motu eorundē, de anni temporibus, & aliis huiusmodi rebus, de quibus Aristoteles acutissimè, absolutissimeq; scripsit. Ad tertiū locum refert eas, quę agunt iis de rebus, quę etsi natura illæ quidem diuinæ sunt, tamen inter homines versantur, & in his considerantur, vt illæ, quæ de animorum immortalitate disserunt, multas huius generis inuenies apud Platonem, præsertim in Phædone, vt sunt illæ quæ de religione, de iustitia, de temperantia, de omni genere virtutum, de vita, & moribus, de legibus, quæ omnes ab Aristotele copiosissimè tractantur, vt illæ demum quæ generatim, & in vniuersum de quacunque re loquuntur. Ad quartum denique locum eas reuocat, quæ de rebus humanis non diuinis agunt, sed magnis, & illustribus, vt sunt illæ plures, & præclarissimæ victoriæ Atheniensium de Barbaris terra, marique, in Campis Marathoniis, ad Platæas Bæotię, ad Artemisium, ad Salamina. Ex his itaque locis, & rebus censet Hermogenes omnem existere oratio-

nis grauitatem. & sanè rectè, nam si quæ de diuino numine, ac maiestate dici possunt, priore loco continẽtur, proximo verò quæ de rerum omnium natura, quæ ipsæ quoque diuinum opus sunt, profectò cùm relictis terris ad cælestia se tollet oratio, excelsam, & diuinam quandam speciem videtur habitura. ex rerum. n. grauitate, verborum grauitas existat necesse est. quid autem grauius? quid verè diuinius iis sententiis, quas de Deo optimo maximo, de eius bonitate, de summa sapiẽtia, de vi & potestate, de prouidentia cæterísque innumeris ac præstantissimis virtutibus suscipimus tractãdas? Rursus, cùm à cœlestibus rebus ad humanas se referet oratio, quicquid in his agnouerit diuini, id ad suam dignitatem reuocabit, agétque omnia sublimius, magnificentiúsque, siue de animorũ æternitate, siue de virtute, siue de moribus, siue de iure, siue sit de genere quocunque disserendum, quem tertium esse locum grauitatis ostendimus: eadem ratione præclarissimas quasque res gestas, vel ab vno, vel à pluribus viris illustribus omni cũ grauitate ac ornatu explicabit, eámque formam præ se feret cùm ex his locis regali apparatu prodierit, quã vel prudentissimorũ oculi sint semper probaturi. Quamuis autẽ in hac defensione nõ omnes horum locorum sint sententiæ, magna tamen pars earum inuenitur, nam agitur de Republica, de variis virtutum generibus, de vi & potestate fortunæ, de magnis rebus & illustribus, quæ omnes sententiæ ad tertium & quartum locũ grauitatis pertinent. Tenemus igitur genus & formam, simul etiam materiam huius orationis, vt nihil ex iis quæ sum pollicitus desideretur amplius: nam etsi nõ sunt loci omnes (vt molestia vitaretur) exemplis patefacti, at sunt certè quantum ad hodiernum diẽ opus videbatur, commonstrati. Ostendi paucis in quo versetur tota causa, locos argumentorum exposui, de tractatione horũ egi, dixi de dispositione, denique de forma, & charactere orationis egi, & qui esset, & quibus ex rebus oriretur docui. hoc meo labore si non aliud, saltem illud hodie Grecarum literarum studiosi fortasse assequentur, vt locos vnde tantum instrumentum, tantámque supellectilem eduxerit Orator, notatos habeant,

beant, vt cùm ego in quotidiano munere copiã ornamentorum, quæ hîc latet, explicabo, errare nequeãt, sed monstrato iam itinere, huc animum referant, omnémque admirandum apparatum singulatim & distinctè contẽplentur, quid enim pulchrius? quid admirabilius fontibus illis vnde flumen orationis huius emanauit? quid autem suauius? quid iucundius hac rerum varietate, quæ lectoribus nullam satietatem, maximam affert voluptatem? quid argumentatione ista inusitatius? quid magis nouum? Age verò illa vis aut conciliandi, aut incendendi animos, parua fortasse aut leuis est? non cælestis? non diuina? quid dicam de singulari prudentia in ordinandis partibus? quid denique de dicendi forma, eiusque grauitate, & amplitudine? eloquentiam ipsam (si detur vox) non alia oratione, quàm Demosthenis hac vna vti posse puto. Ad hos igitur ornatus, Auditores ornatiss. aditus tantùm hodie à me vobis est patefactus: sed vt huc postea penetrare, ac Mysteria tanta spectare vobis liceat, omni studio, cura, diligentia, totis denique ingenij viribus enitar.

DIXI.

Pauca hæc tua sunt præcipuè, Princeps Illustriss. tuæq; incomparabili humanitati, facilitatíque destinata. Quòd itaque huc venire nõ grauatus fueris, quòd ornare me tua præsentia, tuóque splendore non recusaueris, eas tuæ amplitudini gratias ago, quas possum maximas, quoniam quę tali Adolescenti, tanti patris, tantæ matris filio, tantis denique maioribus orto debentur, nullo modo possum.

Errata ſic emendanda.

Pag. 11. quàm Sophocleum.
13. 8 Ecloga.
18. animos hic prologus, inſignem.
19. Λάϊε Λαβδακίδη.
21. Regis. apud.
22. ἐκ τούτων. τὰ δὲ.
24. Κολωνός: nam.
30. προθῆ, τοῖσδ'.
34. exhibuit: atque.
35. aſſiduo metu.
37. Suidas, eſt.)
39. Prouocatus ab.
41. καὶ προσιόντας.
42. ὦ ἀθηναῖοι ἐθελῆσαι. τοὺς μὲν οὖν.
43. Τὸ πλῆρες. Sequitur. ἀνήρηκε. ἐμοὶ δὲ.
44. τὸ μέγα, τὸ. δεινότητος. ἀγανάκτησις.
47. Cùm munus.
50. altiſſimo apud Ducem.
51. ſeſe ſubtraxit.
52. preter alia præclara.
60. Saraceni.
62. atque vt omittam.
67. crimen ſubeam.
68. dicēdi forma, quæ.
69. transferendo.
72. animaduerto, quæ in. ſaltem perſequar. ibid. quanti ſit ponderis. ibid.
76. perſuaſum ſit.
81. explicare potuiſſet? Ope quî. ibid.
83. Ita ſit probabile.
84. perueniri poſſit?
86. Proponite itaque. peruenire, ſiue. ib. Dixerit hîc. ibid. Hiſtorias, Fabulas.
90. ſcito ſuo.
91. autem Orator.
94. Tyrannide Clitarchi.
95. concionem, ipſe iungerent vnâ. poſthac (quod.
96. copiarũ hoc eſſe.
97. priuatim dediſſe. erat allaturus.
100. meritis in Remp.
101. pertinet, reſponderet.